

C A S P A R I S I B E L I I



Homiliæ sex

In MATTH. XVIII. vers. 10. 11. 12. 13. 14.

De

VITANDO CONTEMTU P A R V O R V M .

I. CORINTH. I. vers. 28.

*Quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita
elegit Deus, & ea quæ non sunt: ut ea quæ
sunt aboleat.*



D A V E N T R I A;

Typis CONRADI THOMÆI, & sumptibus JOANNIS
JANSSONII, Bibliopolæ Amstelredamensis.

ANNO MDCLXVI.



Magnifico, Nobiliſimo, ac Strenuiſimo

D O M I N O,

D. E R N E S T O

ab

I T T E R S S U M,

Hæreditario in NYENHUIS

& LAER, Satrapæ ISELMUDENSI;

Domino & Mecænati perpetuâ obſervantiâ colendo,

Gratiam, pacem, ſalutemque extēnam, internam, &
eternam ex animo preter.

MAGNIFICE AC NOBILISSIME
DOMINE,

Bletas & Iuſtitia, ſumma & præ-
ſtantifima Nutritiorum Eccleſiæ,
& Reipublicæ Columnarum ſunt
(?) 2 orna-

ornamenta; Magistratus pii & Dei timen-
tes, & ipsi Deum ex præscripto Verbi ve-
ritatis colunt, & ad ejus cultum subditos,
piis monitis, exemplis ac jussis, invitant, in
flammant, atque animant. Iustitia, suum cui-
que tribuens, Reipublicæ fulcrum est, quam,
absque personarum respectu, administrantes
Dei vicarii, meritò terræ scuta, populi pasto-
res, patriæque patres indigitantur. Felicem ergo populum, qui Te Gubernatore,
Duce, & Protectore gaudet! Nam pietatis
atque justitiae avitæ ac paternæ hæres es haud
degener, sectatorque ac cultor incorruptus
& indefessus.

Eapropter hasce meas sacras Meditationes
generoso tuo Nomi submissæ & officiose
inscribo & dedico. Neque enim obliuisci
possum pronunciati Aristidis: Deo quidem
templa consecranda, viri autem eximi libro-
rum dedicatione honorandi sunt. Stat illud
Regii Vatis & Psaltis: In cujus oculis con-
temnus est reprobus; timentes verò Iehovæ
honorat, is commoraturus est in tentorio
Iehovæ,

Iehovæ, & habitaturus in monte ejus
sancto.

Hoc unum obnixè rogo, ut Nobilissima
Tua Magnificentia, patrocinium hujus
sanctæ meæ operæ benignè suscipiat, Meque
ac meos, eodem propenso atque stabili af-
fectu & favore prosequatur, quo Me, quoad
vixit, dignatus est Magnificus, Nobilissimus
ac Strenuissimus Dominus, D. ROBERTUS
ab I T T E R S S U M, Hæreditarius in Nyen-
huis, Tubantiæ per multos annos Satrapa
honoratissimus atque vigilantissimus,
optimus Tuus ac præstantissimus Geni-
tor; cujus memoria est benedicta. Hoc Te,
Magnifice & Nobilissime Domine Satrapa,
Patrone magne, pro Tua singulari pietate,
& incomparabili erga fidos Dei servos bene-
volentia, facturum confido.

Ita Tibi Tuisque omnibus Deus, omnis bo-
ni fons, uberrimè benedicat, Teque in Eccle-
siæ & Reipublicæ commodum atque salutem
quam diutissime sospiter, ut non nisi matu-
rà cum canitie corporis tui tabernaculum
(?) 3 deponas,

deponas, & cum electis omnibus immarce-
scibilem gloriae coronam reportes, A M E N.
Dabam Daventriæ, I X. Calend. Mart. An-
no, supra millesimum sexcentesimum, qua-
dragesimo septimo, qui est sacri mei Ministerij
annus tricesimus octavus.

*Nobilissime Tuae Magnificentiae ob-
servantissimus,*

CASPARUS SIBELIUS

CONCIO PRIMA

I N

M A T T H. XVIII. verf. 10.

Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis.



Uemadmodum gutta cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo: Ita doctrina veritatis hominum animis non simel semel instillatur, sed crebra e. iusdem verbi divini repetitione atque inculcatione. Faber ferrarius crebris incudem ferit ictibus, ac perpetuo labore rigorem & duritiem ferri tandem vincit: Sic Ecclesiae pastores in sanæ doctrinæ iteratione indefatigabili assiduitate perseverantes, tandem ad resipiscientiam dura corda emolliunt, veritatis cognitionem stupidis mentibus instillant, ac torpidis & negligentibus auditoribus Dei voluntatem inculcant. Scientia rerum divinarum saepe, instar scintillæ, cineribus terrenarum cogitationum atque solitudinum obregitur & obscuratur. Ibi tum flabellis crebrarum admonitionum excitanda & exsuscitanda est atque exflussanda. Filij Dei in sacris Paginis discipulorum nomine insigniuntur: Act. 11. 26. quibus religionis capita identidem in schola Christi sunt inculcanda. Obliviosi illi sunt: ideoque Dei mandata ac partes officij ipsorum frequenter eis in memoriam revocandæ. Hoc consilio Philippensibus ait Paulus: *Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. q. d.* Quum mihi non sit molestum, iterum vos atque iterum hâc de re, quod cautiores sitis, commonefacere: multo minus vobis molestum esse debet

A

debet

debet, quod moneo, iterum atque iterum audire, ac memori mente retinere. Philip. 3. ver. 1. Sic Petrus pios, ob periculum quod illis ab illusoribus inveniebat, sepius ejusdem exhortationis repetitione excitandos duxit: *Hastete, inquit, jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per submonitionem expergefacio: ut memorares ritus verborum quae praedita sunt a sanctis Prophetis, & precepti illius nostri qui sumus Apostoli Domini & Servatoris.* 2. Epist. 3. 1. 2. Eadem de causa Christus mandatum suum de non objiciendo parvulis scandalo, deque ambitione proximi contemptu cavendo, toties in brevi hac verborum periodach & serie repetit atq; inculcat. Nimis altè animis infixa hæret radix ambitionis, ut multo hic labore crebris que monitis opus sit, quo ex eis evellatur. Surda etiam hominum sunt aures, & præclusæ his qui movent, nemini ac ne minimo quidem atque abjectissimo offendiculum esse præbendum. Frequentibus ergo hortatibus pulsando illæ sunt, ut homines humiliter de semetipsis, ac honestè & convenienter de alijs sentire discant. Duo autem agit Christus:

I. Mandatum de non scandalizandis & contemnendis pusillicis repetit.

II. Causas impulsivas tres mandato subnectit.

Quod ad *Mandatum* (de quo impræsentiarum) ejus tres sunt considerandas circumstantias:

I. Quam solicite, videte.

II. Quid, ne contemnatis.

III. Circa quos fugiendum; *Aliquem ex parvis istis.*

Faxit Deus, ut quam hæc exhortatio necessaria est atque utilis, tam eam dexterè explicemus, diligenter expendamus, altèque animis nostris infigamus. A. M. E. N.

I. QUAM

I. QUAM SOLICITE.

Orgâre, inquit Servator. Non dicit simpliciter: *Ne contemnatis aliquem ex parvis istis.* Sed, *Videte ne contemnatis.* Adeoque indicat, sollicitâ hîc vigilantiâ, affiduâ que curâ opus esse. Nam ipsis quoque sanctis perdifficile est, ab omni pusillorum contemptu abstinere sibi que caveare, quum parvi hi plerumque in hoc seculo aestimentur. Sublimia spectant homines, & non contenti forte suâ ad altiora subinde contendunt. Protoplasti cum soli essent, omnibusque creaturis terrestribus dignitate antecellerent, suæ fortis pertæsi, impulsore Diabolo, *sicut Deus esse volunt*. Gen. 3. 5. 22. Commune hoc est vitium mortalibus, etiam optimis, & ab injuriis facilè abstinentibus, ut alios præse fastidiant, quos inferiores se esse cernunt, atque ut id faciant, licere sibi arbitrantur. Intuentur enim homines alios in aestimatione sui ac aliorum, spretâ & neglectâ Dei lege, quæ clarissimum atque limpidissimum est speculum, ad quod toti conformari debemus. Neque incorruptissimum & acerrimum Dei morantur judicium, qui cor, non externam conditionem spectat, & saepè optimum, summum & utilissimum ducit, quem homines insimum, vilissimum & inutilem aestimant. Pauli verbis dicam: *Ipsi se se metiuntur seipsis, & sibi ipsis se se comparant.* 2. Cor. 10. 12. Alios omnes contemnentes, nihil aliud pro mensurâ adhibent, quam seipso. Quod perinde est, atque si quis pigmæus aut deformior Thersite, de sui corporis staturâ aut formâ gloriari volens, se solam intueatur, non autem alios spectet, qui ipso proceriores sunt & formosiores. Quam vero nobis animæ salus chara est, tam sedulò videndum, Christo monitore, ne locum huic vitio demus. Hoc enim orgâr, non oculorum est, sed animi. Quo eiam sensu Christus verbo isthoc utitur

CONCIO PRIMA

tur Matth. 16. 6. *Videte & cavete à fermento. Pharisaeorum & Sadduceorum.*

Ufus ad παιδείαν.

Omnes sibi à Christo dictum existiment, videte, ut ab aliorum, ac in primis pusillorum contemptu abstineatis. Singulari hinc & accurata circumspicione, vigilantia & prudentia opus est, quum facile in eo impingatur. Samuel erat judex populi incorruptus, Propheta sanctissimus, Sacerdos maximus, speculum pietatis & justitiae, jubar sinceritatis, hostis omnis πρωτωληψις acerrimus; & tamen hac de re admonendus erat in unctione Davidis. Nam respicere volebat ad speciem, & ad altitudinem stature Eliabi fratris Davidis, quem Deus respuerat. Et quum David ingredetur, opus habuit admoneri per Spiritum Domini, eo quod hic esset minimus & postremus inter fratres. 1. Sam. 16. Verè ut Iehova pronunciet: *Non specto quod spectare solet homo, nam homo spectat quod est ob oculos, sed Iehova spectat quod est in animo.* Ibid. verl. 8. Ergo ne errore hinc labamur, cogitandum:

I. Non decere nos in Dei partes involare: Deus antea & retrò plenus est oculorum, renumque & cordium est scrutator. Apoc. 2. 23. Nobis congenita est coecitas & ignorantia. Etiā cùm acutū nobis cernere videamur, allucinamur, & erramus. Deum ipsum audi: *Nonsunt cogitationes meæ ut cogitationes vestræ, neque ut viæ vestræ viæ meæ, dictum Iehovæ: Sed ut alti sunt cœli supra terram: ita altæ sunt viæ meæ supra vias vestras, & cogitationes meæ supra cogitationes vestras.* Esai. 55: v. 8. 9. Solius Dei est, de hominis corde & interiori constitutione judicare: Gravissimè Paulus in temerarios & festucarios proximorum judices invehitur: *Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio domino perstat aut cadit, stabilietur autem*

IN MATTH. XVIII. v. 16.

Autem: potest enim Deus eum stabilire. Rom. 14. 4. Necessaria omnino & salutaris exhortatio. Non convenit, nos temerè judicare de eorum personis, aut facta eorum sub censorum vocare, in quos nihil juris habemus. Legibus id prohibitum, neque in foro licitum. Christus etiam prohibuit: *Ne judicaret, nempe alienos, ut ne judicemini.* Matth. 7. 1. Quid vero juris nos in alios habemus? Domini eorum non sumus, sed conservi, pari jure Domino cœlesti subjecti. Iniquum est, servum judicare servum alienum. Importunus & iniquus meritò censetur, qui in aliena familia sibi jus vendicat, & famulos alienos pro suo arbitrio regere aut judicare vult. Quanto ergo magis reprehensione dignus est, qui sibi hec in Dei servos permittit, & in eos curiosius inquirit, qui nullum ad ipsum jure pertinent: Stat illud Apostoli: *Novit Dominus eos qui sunt sui.* 2. Tim. 2. 19. Et obtinet hinc istud ejusdem Pauli: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* 1. Cor. 2. v. 10. Sæpe Deus eos ut oculi pupillam diligit, quos homines tanquam mundi purgamentum, & tanquam omnium ramentum aestimant. Ibid. cap. 4. 13. Id quod liquet Lazarus, mendici abjectissimi, exemplo, quem canibus suis viliorem & pejorem judicabat Epulō dives: fed Deus ei stipatores adjunxit sanctos Angelos; & quem Epulō projectum ad vestibulum suum, contemptim negligebat, Deus ab Angelis insinum Abrahami asportari curavit. Luc 16. 20. & seqq. Paullus ut homo abjectus habitus à Corinthiis, quod nihil exteriori splendoris haberet, nihil temeraria eorum judiciorumatus, Domini se judicio permisit, dicens: *Miki proximum est quod à vobis dijudicer, aut ab humano judicio: immo nec ipse me dijudico.* Nullius enim rei mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum. Dominus autem est qui me dijudicat. 1. Cor. 4. v. 3. 4. Nec præterea quod subicit Apostolus: *Proinde ne ante præstitutum tempus quicquam judicaret, id est, usque dum venerit Dominus, qui & illustratus est res tenebris occulta-*

occultatas, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc laus erit unicuique à Deo. q. d. Dei est aestimare unumquemque suo pretio, ut qui nōrit cordis latebras, quae sēpissime homines fallunt. Vestrum itaque hoc judicium non est. Ibid. vers.

5. Contrā sāpe Dei judicio pessimus est, vilissimus atque nocentissimus, qui in oculis mundi optimus, honoratissimus, ac utilissimus videtur. Certe Herodem, quem in Dei folio collocabant, Deiq; nomine salutabant adulatores, Deus homine quovis viliorum aestimavit. Illuc enim percessit eum Angelus Domini, eo quod non tribuisset gloriam Deo, & Iesus à veribus, examinatus est. Act. 21. 22. 23. Quantā apud Istraelitas olim fuit autoritate Achitophel, Davidis consiliarius? Disertè historia sacra: Consilium Achitophelis, quod consulebat diebus illis erat ac si quis consuluisse verbum ipsum Dei: ita erat quoque consilium Achitophelis tām Davidi tām Absalom.

2. Sam. 16. 23. Verūm judicium Dei de hoc vaferimo Diaboli organo & bipedium nequissimo, ex veritate fuit, qui animo ejus consilii pessimi despoticione occupato, manum ab eo retraxit, unde ad laqueum compulsum est miserum hoc Satanæ mancipium. Ibid cap. 17. v. 23,

2. Cor nostrum, gloriose & altum de nobis dotibusque, quibus ornati sumus, sentiens, reprimamus, ac omnium nos indignissimos atque insimos aestimemus. Quo enim quis major est in oculis suis, eo minor est in oculis Dei. E contrario quo vilior quis & minor est in oculis propriis, eo major atque dignior in Dei est oculis. Neque enim fallit istud Christi pronunciatum: Quicumque se extollit, deprimetur, & qui se se deprimit, extolleatur. Luc. 18. 14. Eodem respicit illud Siracidæ: Quod major es, eo magis te ipsum abjice, & coram Domino consequeris gratiam. Multi sunt excelsi & gloriosi supra modum: sed mansuetis revelantur arcana: nam magna est potestas Domini, sed ab hominibus gloriam adipiscitur. cap. 3. 19. 20. Nihil obest tibi, & nihil de honore tuo decedit, si omnibus te in-

te inferiorem judices. Audite Paulum, magnam illam Euangelij rubam, quique Apostolorum non minus primus, quam ultimus existit: quām ille demissè de se sensit & locutus est? *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quod persequutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Cor. 15. 9. Item: *Peccatorum primus sum ego.* 1. Tim. 1. 15. Rursus: *Mihi longè minimo omnium sanctorū data est hæc gratia, euangelizandi inter Gentes impervigilabiles illas opes Christi.* Eph. 3. 8. Adeamdem animi demissionem pios omnes serid cohortatur: *Explete, inquit, meum gaudium, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimi, & sententiis uniti: nihil gerentes per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex animi submissione alii alios existimantes sibi præcellere.* Phil. 2. 2. 3. Quām rara hæc est virtus, tām necessaria: ut sic donis Dei utamur, nequid nobis, despe etis aut fastiditis cæteris, insolentiū arrogemus, ad corporis Christi mystici utilitatem omnia accommodantes. Verūm enim verò, tām longè absamus ab eo quod hic Paulus præcipit, ut ægrè quisquam ferat alios sibi æquales. Nemo enim est, qui non eminere cupiat: nemo est qui non sibi mirum in modum placeat, & ex stulta sui admiratione alios non despiciat. Clamat plerique, qui fieri possit, ut qui reaperte præ aliis excellit, eos existimet præstantiores, quos procul à se distare novit? Sed nō sint illi, hoc totum à rectâ aestimatione donorum Dei & nostrarū infirmitatum pendere. Nam utcunque præclaris quis dotibus polleat, reputare debet, non in hoc sibi esse collatas ut sibi placeat, se effera, vel etiam in pretio habeat. Rursus, se exerceat in excutiendis & agnoscendis suis vitiis, & larga habebit humilitatis materiam: in aliis contrā, quicquid est virtutum, honore prosequetur, peccatorum multitudinem (quoad ejus salvā Dei gloriā & conscientiā illæfā fieri potest) charitate operiet. 1. Petr. 4. 8. Hanc regulam quisquis tenet, haud difficulter alios sibi præferet. Non ergo stultam

hic humilitatem præcipit Apostolus: veluti si quis sciens pingere literas, debeat existimare ignarum literarū melius scire pingere: aut quis mediocriter prudens, hominem naturā faruum se sapientiorem judicare debeat. Sed vera animi demissio est, quā nihil temerè nobis præ aliis arrogamus, non alta apud nos sapimus, non gloriamur in donis nobis à Deo tributis: sed peccatores nos coram Deo esse agnoscimus, & humilibus obsecundamus. Rom. 12. 16. Exitiosum est, si vel minimo quis se anteferat. Hoc nomine in Evangelio perstringuntur, qui sibi persuaserant se justos esse, & pro nibilo habebant reliquos. Luc. 18. 9. Ac inter maxima & turpissima Pharisei peccata numeratur, quod reliquis omnibus hominibus, ac sigillatim misero Publicano sese antetulerit. Dura Deoque & hominibus inimicahæc ipsius vox est: Deus, gratias ago tibi quod non sis ut reliqui homines, rapaces, injusti, mæchi, vel etiam ut iste Publicanus. Ideoque Christus Publicanum inflato huic utri prætulit: *Dico vobis, descendit iste justificatus domum suam potius quam ille.* Ibid. ver. 11. 14.

3. Ne parvi æstimemus, sed magnificamus virtutes quibus alii homines, præfertim pii, decorati sunt. Nam ille demum commoraturus est in tentorio Levovæ, ac habitaturus in monte sanctitatis ejus; qui timentes Iehovæ honorat. Psal. 15. 1. 4. Nec aliorum tendit illud Salomonicum: *Pro ratione intellectus sui laudabitur vir.* Prov. 12. 8. Hujus mundi filii tantum sibi decedere putant, quantum proximo tribuitur. Virtutes politicas, si quibus ornati sunt, talenta ducunt, virtutes veras, quibus alii pollent, ne teruncii quidem faciunt. Aliter sinceri virtutum proximi æstimatores, qui ad lanceam veritatis eas appendunt. Debora prophetissa, cæsis hostibus Israëlitarum, militiæ duces, gregarios milites, principes Israelis, ipsosque comineantes, ob fortitudinem & strenuitatem, lumen extulit laudibus. *Animus mtus inclinat*

clinat ad eos qui mandata habent in Israele, ad eos qui se sponte offerunt in populo: ad equitantes asinas nitidas, residentes in iudicio, & ad vos qui proficisci per viam, confabulamini. Judic. 5. 9. 10. Dignis quoque laudibus condecoravit Jahelem, magni animi foeminam, quæ Siferam, hostilis exercitus Imperatorem, iufixo in tempora ejus paxillo, straverat & interemerat: *Benedicitor præ fœminis Iabel uxori Cheberi Kenai: præ fœminis in tentorio degentibus benediciter.* Aquam pterierat ille, lac ipsa dedit simplo magnificorum obtulit lac pingue. Manus sinistra ejus ad paxillum, dextera autem ejus ad tuditem laborantiū sese extenderunt: & tudit Siferam, abrasit caput ejus, & fregit ac transverberavit tempora ejus. Inter pedes ejus incurvavit se, cecidit, jacuit: inter pedes ipsius incurvavit se, cecidit ubi incurvaverat se, ibidem cecidit vitâ spoliatus. Ibid. v. 24. 25. 26. 27. Sic quum Saul Rex impius, malo spiritu agitatus, prospici sibi vellet de perito citharaedo, qui animi perturbationem pelleret, Jonathan filius ejus natu maximus, summè Davidem à varijs animi & corporis dotibus commendavit: *Ecce prospexi, filius est Iischai Bethlehemite, sciens pulsare, & valens robore, & vir bellicosus, rerumque intelligens, ac vir formosus: denique Iehova est cum eo.* 1. Sam. 16. v. 19. Idem Jonathan, cognito consilio patris sui Saulis de interficiendo Davide, innocentiam intimi sui amici tuitus est, laudes ejus dixit, evumque patri suo reconciliavit: *Alloquens Jonathan de Davide bonis verbis Saulem patrem suum dicebat ei, ne peccet Rex in servum suum, in Davidem, quia non peccavit in te, quinimò facta ejus bono sunt tibi valde.* Nam quum exponens vitam suam in manu sua percussit Pelischthæos, comparavit Iehova salutem magnam toti Israeli; vidisti & latatus es: & quare peccares contra sanguinem innoxium, morte afficiendo Davidem immerito? 1. Sam. 19. verf. 4. 5. Subditi etiam Davidis honorificentissime de rege suo senierunt, ac magni eum o' pæclaras & verè regias dotes fecerunt. Nam processu in prælium contra Ab-

C O N C I O P R I M A

salomum dixerunt: Non es processurus, nam sive planè fugeremus, non apponeren ad nos animum: sive morerentur dimidium nostrum, non apponeren ad nos animum, jam ut sumus, decies mille essemus: quare nunc melius erit, si fueris nostra causa per vigil adferrendum opem. 2. Sam. 18. v. 3. Galatæ quoque optimè de Paulo Apostolo existimarunt: Me, inquit, ut Angelum Dei, ut Christum Iesum exceptistis. Gal. 4. 14.

4. Denique reputemus nobiscum, quinam & quales illi sint, quos nobis inferiores æstimamus. Homines sunt, ejusdem nobiscum naturæ confortes. Clamat Propheta: A carnis tua non abscondas te. Elai. 58. 7. Hæc consideratio lobum cohibuit ab oppressione servorum & ancillarum suarum: Si sprevi jus servi mei, aut ancillæ mee, quum litigarent mecum: faciat mihi Deus hoc & istud. Quid enim facerem, si surgeret Deus? & si visitaret, quid responderem ei? Nonne in ventre qui fecit me, fecit & illum? & nonne aptavit nos in utero unus atque idem? cap. 31. v. 13. 14. 15. Adhæc ejusdem gratiæ divinæ sunt participes; quippe domestici fidei, Gal. 6. 10. concives sanctorum ac domestici Dei. Eph. 2. 19. filij Dei. Rom. 8. 16. Utique ista propinquitas atque spiritualis necessitudo omnem excludere debet contemptum. Stat enim illud Ioannis: Quisquis diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui ex eogenitus est. 1. Epist. 5. 1. Porro eodem gaudemus Redemptore & Mediatore Iesu Christo: Vnus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. 1. Tim. 2. 5. Denique ad eamdem vitæ æternæ spem à Deo vocati sumus; quippe hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Rom. 8. vers. 17. Hanc rationem vehementer urget A postolus, ad mutuam conjunctiōnem & charitatem nos hortaturus, omnemque contemptum proximi dissuasurus: Precor vos, inquit, ego vindictus iuste in Domino, ut ambuletis ita ut convenit vocationi quæ vocati estis: cum omni animi submissione & lenitate, cum ira cohibitione, sufferentes alij alios per charitatem: studentes conservare unitatem

tem spiritus per connexum pacis. Vnum est corpus, & unus spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vacationis vestram. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma: unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis. Ephel. 4. 1—6. Næqui probè ista considerat, ille videt, sibi que cavet, ne vel minimum contemnat.

II. Q U I D.

V Idete, inquit Christus, ne contemnatis. Antea serid edixerat, ne offendiculum unum ex parvis. v. 6. Nunc addit: Ne contemnatis aliquem ex parvis ipsis. Atque ita obthurat fontem omnium offendiculorum quæ pusillis ponuntur, ac docet qui cavere possimus, ne eos dicto vel facto lædamus. Contemptum pusillorum prohibet, qui scandalizandi audaciam generat: quum videlicet tanti non æstimatur proximis, ut propter illum à re aliqua abstinentum sit, aut aliiquid faciendum. Dicitur enim καταφρονεῖν, h. e. contemnere aliquem, tūm qui corde humiliter de eo atque abjectè sentit, minusque & infrā quām de semetipso: tūm qui hoc ipsum reapse demonstrat, eum, tāquam amore & auxilio suo indignum, prorsus negligendo. Hoc qui facit, certè facillimè eò deveniet, ut & offendiculum objiciat, ac lædat eum quem contemnit. Contrà si neminem contemnamus, ambitio facile extinguetur, & singuli modestiæ animique submissione inter se certabunt. Hoc si fiat, jam etiam omnia scandalorum fomenta sunt sublata. Quod ipsum in semetipsis experti sunt Apostoli. Unde enim temeraria & turpis ipsorum de primatu disceptatio exorta est, nisi quodd alij alios præ se contemserunt, seque ipsis praestare sibi persuaserunt? Unde item provenit, quod non sequenti Christum cum ipsis interdixerunt, ne amplius in nomine ejus demonia ejiceret, nisi quodd ipsum præ se contemserunt. Luc. 9. 49. 50. Ex his vero multiplicia scandalata enata fuissent, nisi mature Christus suis monitionibus occurrisset.

CONCIO PRIMA

At scrupulus hic movetur: *Qui cum Christi hoc præcepto, Videte ne contemnatis aliquem; stare & conciliari possit illud Davidicum: Is in cuius oculis contentus est reprobis, nunquam dimovetebitis?* Psal. 15. 4. 5. Sed facile scrupulus hic potest eximi. Contemnendi sunt impii eodem planè modo, quo sunt odio habendi, quatenus sc. sunt impii. Ipsius Davidis exemplo & facto id probo & illustro. Ait Is: *Annon osores tuos, ô Iehovâ, odio habeo? & de insurgentibus in te fastidio me ipsum torqueo? Perfecto odio odî illos: inimicorum loco sunt mihi.* Psal. 139. 21. 22. Hæc dicendo & faciendo David non peccat in regulam charitatis: *Diligite inimicos vestros.* Matth. 5. 44. Neque enim personas, sed vitia personarum odit justus. Ideo *subducit se ab omni fratre qui inordinatè ambulat.* 2. Thessl. 3. 6. Et tamen, si videat eum egere, ex charitatis lege eum subblevat; memor hortatus Paulini: *Si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum: hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus. Ne vincitor à malo, sed vince bonum malo.* Rom. 12. 20. 21. Sic Samaritanus misericordiâ usus est erga Iudeum, qui in latrones inciderat, ac ab eis expoliatus, & plagiis impositis lemneis relictus erat. Luc. 10. 37. Atqui ex Euangelica historia constat, non fuisse usum necessitudinis Samaritanis cum Judæis. Ioan. 4. 9. Ejusmodi ergo odium fluit ex dilectione inimicorum: quemadmodum imaginem quis potest amare, qui maculam ei ab alio aspersam odit. Non sunt honorandi, sed contemnendi impii, tūm quia impii sunt, tūm ne impietas eorum honoris delatione ametur, alatur atque confirmetur. Appositè ad hanc rem Salomon: *Vt nix æstati, & ut pluvia messi: Ita non convenit stulto honor.* Prov. 26. 1. Quemadmodum nix in æstate non modò frugibus incommodo est & noxia, sed & mali ominis: Sic eum qui poenâ & infamia dignus est, honore maximo cumulati, præter damnum præsens, gravius aliquid præfigit:

Hinc

IN M AT T H. XVIII. v. 10.

Hinc quædam signa honoris, cæteroquin debiti, propter impiorum nequitiam, jure eis denegari possunt. Elisæus Ieramo, impio Israelitarum regi, à quo confulebatur, intrepidè dixit: *Quid mihi tecum est? abi ad prophetas patris tui, & ad prophetas matris tuae. Vt vivit Iehova exercitum ante quem adsto, nisi personam Iehosaphati regis Ichudæ suscipierem; non intuerer te, neque aspicerem te.* 2. Reg. 3. 13. 14. Mardechajus Hamanem, populi Dei capitalem hostem, & calumniatorem improbum, Regis Aſueri jussu ab omnibus adoratum, honore hoc indignum judicans, *non flexit, neque incurvavit se coram eo.* Esth. 3. 2. His adsidet & illud Salomonum: *Vt qui applicat lapidem balistæ, ita qui præbet stolido honorem facit.* Prov. 26. vers. 8. Qui stolidi personæ factis aut verbis honorem habet indebitum, gladium porrigit manu furiosi, & ei quodammodo arma subministrat ad nocendum, cumque confirmat in malo: perinde ac si quis lapidem aut missile quodvis gravissimum imponeret tormento illius qui temerè ejaculaturus esset. Imò quemadmodum margarita inter vulgares lapides (quibus nihil vilius. 1. Reg. 10. 27.) non est collocanda: Sic nec honor stultis est deferendus. Hoc esset ephippium bovi imponere, & porcum aureis catenis & armillis ornare. Verè Boëthius: *Collata improbis dignitas, non modò non efficit dignos, sed prodit potius & ostentat indignos.* Libr. 2. de Consolat. Philosoph. pr. 6. Nulli facilius efferuntur, nisi quos inopinati & indebiti honoris culmen extollit. In rebus domesticis ritè ordinandis judicio utendum est, ut pro rei cuiusque dignitate honestiore locum obtineat: Num quis æquè ferat, aulæ pretiosa in coquina appendi: aulæ verò & triclinij parietes nudos & inornatos conspicí? *Quis matulam ferat in loco eminenti & conspicuo collocari: gutturnum autem vel cyathum aureum humi jacere?* Quod si in privatis ædibus & rebus leviusculis hoc ferendum non sit quanto

quanto minus in Republ. aut Ecclesia, qui dedecore digni sunt, honore erunt afficiendi? Hoc tamen intelligendum est de insigniter improbis, in quibus honoris cause turpitudine oppositâ quasi obruiuntur; & cum illâ moderatione, ut animus monstretur paratus ad orationem honorem exhibendum, si impietatis obstaculum removeatur. Quatenus verò impii boni aliquid habent, justum ejus testimonium non est ipsis denegandum. Paulus servos fideles, qui nocti erant infideles dominos, hortatur: *Quicunque sub iugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducent, ne Dei nomen & doctrina blasphemetur.* 1. Tim. 6. 1. Nec aliter Petrus: *Servi, subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & aquis, sed etiam pravis. Hoc enim cedit gratiae, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias iustae afflictus.* 1. Epist. 2. 18. 19. Quid? quod Deus ipse impii regis Achabi temporariam pœnitentiam, temporario beneficio, nempe prorogatione executionis sententiae in ipsum latæ, compensavit. Sic enim textus sacer: *Fuit quum audisset Achab herba ista Eliæ, (qui ipsi & Izebelæ cum tota posteritate excidium denunciarat) ut laceratis vestibus suis, & imposito cilicio carni sue jejunaret: cubaret etiam cum cilicio, & ambularet lente. Quapropter fuit verbum Iehovæ ad Eliam Thishbitem, dicendo: Videsne Achabum se abjecisse ante faciem meam? eo quod abjecit se ante faciem meam, non inducam malum illud diebus ejus: diebus filij ejus inducam malum illud super domum ejus.* 1. Reg. 21. 27. 28. 29.

Uſus ad traſdelar.

Quisquis ergo ab offendiculorum objectione cavere sibi volet, omnem proximi contemptum & ambitionem, cœpitem, fugiat: bene & honorificè de quolibet homine sentiat, praesertim de Dei timente. *Ubi charitas est minime simulata;*

mulata, & ubi fraternali charitate alijs ad alios amandos propensi sunt; ibi honore alijs aliis præeunt, Apostolo teste. Rom. 12. 9. 10. Nec aliorum vergit illud ejusdem Apostoli: *Nihil gerire per contentionem aut per intanem gloriam: sed ex animi submissione alii alios existiment sibi præcellere.* Philip. 2. 3. Exemplo nobis præxit idem Paulus, qui infirmos fratres usu rerum adiaphorarum scandalizare nolens, ejusmodi rationes addit, ex quibus luculentter appetet, quam honorificè de illis senserit. Vocat eos fide infirmos, famulos Dei, à Deo assumitos fratres, opus Dei. *Gratias eos Deo agere afferit, Dominoque vivere ac mori, ac Domini proprios esse, qui pro eis mortuus sit.* Rom. 14. 1. & seqq. Affirmat eis unum nobiscum esse Deum, Patrem illum à quo omnia, & nos in ipso: & unum Dominum Iesum Christum, per quem omnia, & nos per ipsum. 1. Cor. 8. 6. Evidenter taliæ ista & tanta sunt, ut facile à contemtu fratres infirmos vindicare queant. Ideoque mirum haud est, Paulum ex ista eorum dignitate & prærogativâ isthanc texere exhortationem: *Ne amplius igitur alijs alios judicemus: sed b̄e potius arribibete iudicium, ut ne fratri proponatis quidpiam ad quod impingat vel offendat.* Rom. 14. 13. Quin & hoc proposito animum suum obfirmat plium peccatum: *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in aeternum, ne sim offendiculo fratri meo.* 1. Cor. 8. 13. Qui infirmos & in mundi oculis abjectos, fratres agnoscit, eos non est contemturus aut scandalizaturus. Ecce Iebusæ contumeliam Davidem affectarunt. Verbo dicam: contemserunt eum, nihilique astimarunt. 2. Sam. 5. 6. Et Nabal noluit amici officium præstare Davidi exuli, sed servos ejus, donum aliquod modestè petentes, contumeliose dimisit: eo quod Davidem hominem nauci & abjectissimum duceret. Audite contumeliosissimè in Davidem debacchantem: *Quis est David? aut quis est filius Iisrael? hodie multi sunt servi qui erumpentes deficiunt quisque à domino suo.* h. e. qui perrumpunt officii sui fines, & in-

C O N C I O P R I M A

in dominos suos justos perfidè invehuntur, deniq; tanquam li fluenta retro properarent, ita contra jus naturæ venient adversantes magistratui suo. Neque hic stetit ignominia. Subnecit enim: *Scilicet acciperem panem meum, & aquas meas, & matutinas carnes meas quas mandavi pro tonsoribus ovium meorum, & darem hominibus quos non novi undenam sint.* 1. Sam. 25. 11. 12. Conspicuum quoque in hanc rem est exemplum Iobi, cui uxor, servi, amici, liberi obedientiam, servitia, & auxilium in necessitatibus negarunt, quod eum fastidirent, nec Deo curæ esse putarent. Hinc afflctissimo & ab omnibus deserto nati sunt tristes illi & flexanimi questus: *Fratres meos procul à me amovit: & familiares mei tantum alienant se à me. Deserunt propinquai mei: noti mei obliti sunt mei. Habitatores domus meæ, & ancille meæ, extraneum reputant me: alienigena eis videor. Quum servum meum iacalam, non respondeat: et si ore meo supplico ei. Habitus meus alienus est uxori meæ: ut cunque supplicem ei per filios ventris mei. Etiam parvuli spernunt me: quum surgo obloquuntur mihi. Abominantur me omnes homines intimi mihi, & quos diligo convertunt se contra me. Cuti meæ, & carni meæ adhaerent ossa mea: denique eva si cum cute dentium meorum. Misericordia mei: misericordia mei, vos amici mei, quia manus Dei tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus? & carne meæ non potestis saturari?* cap. 19. 13—22. Huc animos advertite Principes & Magistratus: Ne contemnите subditos, sed magni eos aestimate. Neque enim subditi propter vos, sed vos propter subditos à Deo creati & constituti estis. Sic nunquam nusquamve quidpiam illis propontis ad quod impingant aut offendant. Tam charos subditos suos duxit David Rex, ut pestem tribus diebus in eos gravante, in se familiaresque suos ab iis avertere præoptarit: *Aloquens enim Iehovam videndo Angelum qui percutiebat populum, dixit: Ecce ego peccavi, & ego iniquè feci: hi autem ha oves quid fecerunt? sit, queso, manus tua contra me & contra domum paternam*

paternam meam.

2. Sam. 24. 17. Ut pastor oves, ita subditos permagno æstimavit. Disertè Psaltes: *Pavit eos pro integritate animi sui, & summâ prudentiâ manuum suarum deduxit eos.* Psal. 78. v. 72. Ideoque magnam adhibuit cautionem, ne offendiculum eis præberet, sed ut exemplis bonis eos ædificaret: *Inde finiter, inquit, ambulabo in integritate animi mei intra domum meam.* Psal. 10: 2. Memorabilis & præclara dignaque Cæfare vox est Ulpiani Trajani, quâ monuit, *Principem erga subditos talēm esse debere, quales erga se velit esse ipsos subditos.* Nam exemplo suo princeps trahit subditos. Ergo non animis eorum duntaxat, sed oculis etiam servire ipsi oportet, ut in mores ejus laudabiles & pios, velut unici exempli, formare se possint. Et sane æquè carè Christo constitutus subditus, atque princeps. Ut hīc obtineat illud Pauli: *Ne illum perditō pro quo Christus mortuus est.* Rom. 14. 15. Consimiliter verbi divini ministri auditores fidei suæ commissos magni faciant, neque præ se contemnant: sic non tantum providè ab offendiculis objiciendis sibi cavebunt, sed etiam objecta removebunt. Petrus ab Ecclesiæ pastoribus exigens, *ne superbè cleris dominentur, sed ut sint exemplaria gregis;* hoc fundamentum substernit hortationi, *quod greci Dei sit.* 1. Epift. 5. v. 2. 3. Idipsum Presbyteris Ephesiniis Miletum vocatis Paulus inculcat: *Attendite animum ad vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille sanctus constituit episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo illo proprio sanguine acquisivit.* Act. 20. 28. Et vos parentes ne despicie liberos vestros, qui ex lumbis vestris prodierunt. Agnoscite cum Davide, *possessionem Iehovæ esse liberos, mercedem esse fructum ventris.* Psal. 137. 3. Liberi, vitâ ipsa cariora sunt pignora. Hinc ille: *Instituente naturâ plus ferè filios quam nos metipos diligimus.* Suæ ergo liberorumque salutis prodigi sunt, qui scandala eis præbent: Qui dignè & ex veritate liberos æstimant, eos in disciplina & admoni-

admonitione Domini enutriunt. Eph. 6. 4. Hanna Samuelem filium precario sibi datum inter maxima Dei dona duxit, Dei ministerio consecravit, & in pietate enutriendum sollicitè curavit. Dixit enim ad Helin: *Pro puero isto supplicabam; præstítitque mihi Iehova petitionem meam, quam petebam ab eo.* Quam ob rem ego quoque precario datum isto eum Iehovæ omnibus diebus quibus fuerit, ipse rogatus precario est Iehovæ. x. Sam. 1. 27. 28. Sed nec heri heræque servos ac ancillas suas pro vilibus habeant mancipiis, neque contemnant, neu injuriâ afficiant, nec scandalis objectis perdant, neque in afflictionibus, morbis & periculis destituant, nec ex ædibus extrudant. Servi sunt confortes salutis. Gal. 3. 28. adeoque herorum suorum conservi. Matth. 18. 28. Piè Sacerdes: *Si est tibi famulus, age eum ut fratrem, quia est tanquam tu ipse.* cap. 33. 31. Notum id Senecæ, qui ita scribit ad Imperatorem φιλόδολον, Epist. 47. *Libenter ex his, qui à te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet.* Servi sunt? immò homines. Servi sunt? immò contubernales. Servi sunt? immò humiles amici. Servi sunt? immò conservi. Graviter Paulus: *Domi- ni, inquit, jus & aquum servis præstate: ut qui sciatis vos quoque habere Dominum in cœlis.* Col 4. 1. Domini plerumq; nihil non audent in servos suos, quod illos solos servos esse putant, se dominos absolutos, & nihil aliud quam dominos. Iubet ergo Paulus eos scire & meminisse, se etiam servos esse supremi Domini, ac proinde servorum suorum conservos. Est autem à ratione alienum, ut servus, quamvis paulò honoratior, injustè ac tyrannicè agat cum conservis suis; quia non vult ut ipse Dominus eodem modo secum agat. Ac quum ideo insolenter se domini adversus servos gerant, quod plerumque nec illis adsit resistendi facultas, nec adesse videatur ullus judex aut defensor, qui injurias servis illatas ulci- scatur: cogitare, monente Apostolo, domini debent, ha- bere

bere se quoque Dominum, cumque non mortalem, sed cœlestem, h. e. justum, omnipotentem, omniscium, uno verbo, Deum, qui non patietur illos impunè abuti delegatā in servos autoritate. Summatim, personent omnium aures animique monito hoc Petrino: *Omnēs honorate.* i. Epist. 2. v. 17.

Ergo ne contemnamus parvos. Qui fecerint, impune non ferent. Ratum, firmum, fixumque est illud Salomonis: *Qui con- temnit proximum suum, futurus est peccator,* h. e. peccati atrocissimi condemnabitur. Prov. 14. 21. Et sanè peccatores gravissimi sunt contemtores proximi; quia nec proximi, quem contemnunt, nobilitatem atq; excellentiam, nec propriam vilitatem & infirmitatem reputant. Communis obli- scuntur miseriæ, qui in proximi miseriam facile & uno ve- luti momento devolvi & impelli possunt: sicut & proximus in ipsorum prosperam & fortunatam conditionem (si quā u- tantur) subito & repente attolli potest. Neque verò in pro- ximum modò istiusmodi contemptores superbi sunt & insolentes: sed porrò contumeliosi in Deum existunt. Nam qui proximum, quod miser & afflictus sit, contemnit; Deum, qui miseriam & afflictionem ei intulit, contemptui habet. Et hoc ex Salomone discere est: *Qui, ait, subsannat pauperem, probro afficit Opificem ejus.* Prov. 17. 5. Quibuscumque & quantiscunque calamitatibus, infirmitatibus, imper- fectionibus circumdatuſ proximus pauper, ægrotus, igno- bilis, indoctus; non desinit esse proximus noster, h. e. ar- cissimis nobis vinculis conjunctus. Nam primùm easdem divinæ imaginis reliquias, quas nos gestamus, ipse circum- fert; quo uno nomine amore complectendus est, ut alia omnia abessent. Si quis occurreret, qui me, te, vultu & cor- poris statu plurimum exprimeret, in eum certè benevo- lâ quādam voluntate præ cæteris propenderemus. Qui ergo nos animâ, præstantissimâ nostrâ & nobilissimâ parte, expri-

C O N C I O P R I M A

exprimit, ne dum illum complecti debemus; maximè, cùm, quā nostrī similis est, Dei Patris nostri imaginem referat: deinde deformitate, & turpi Adami effigie, nos ad vivum repræsentet. Quæ res, ut amorem non conciliet, contemptum sanè cohibere atque fugare deberet, & ad miferationem nos inflectere. Quod si fide proximus Christo insitus, ejus etiam imaginem induerit, novo & fortissimo propinquatis nexus nobis conjunctum eum interius & ardentiū amare debemus; nisi, ut Deum in sua imagine, sic Christum in suā effigie contemptui habere placuerit. Quod si, nobis ad Dei imaginem conformatis, ipse ab ea alienus sit, quis tamen (obficio) nos discrevit? 1. Cor. 4. 7. Num nos hoc fecerimus, an Deus? Et quamobrem discrevit? Num propter nostra merita, aut operum dignitatem? aut ex mera atque gratuita gratia? Ex gratiā certè, & liberrimā suā voluntate hoc fecit. Expressè Apostolus: *Gratiā estis servati per fidem: (Et hoc non est ex vobis: sed Dei donum est)* Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Eph. 2. 8. 9. Summa huc redit: neminem emuleriarum & peccatorum devolvi posse, quin impressa habeat illa gloriæ divinæ vestigia, quæ eum apud homines meritò à contemptu vindicent. Semper auribus nostris isthac insonet Esiae Prophetæ vox: *A carne tuā non abscondas te.* cap. 58. 7.

III. C I R C A Q U O S?

HOc Christus indicat, prohibens *unum ex parvis iſtis* contemnere. *Parvi* seu *pusilli* plerumque in hoc seculo contemtui magis obnoxij sunt, quām qui magni videntur. Ideo suos Christus præmonet, ne pusillum aliquem contemnant, propterea quod pusillus est. *Pusilli* seu *parvi* qui fint, versu sexto explicatum est: Non tantum *parvi* ætate vel staturā, sed etiam æstimatione, animi submissione, infirmitate,

I N M A T T H. X V I I I . v. 10.

mitate, fide, qui toti à Christo pendent, & propterea contemti sunt in mundi oculis. Quamvis autem ex eo, quod non simpliciter dicit Christus: *Vnum ex parvis;* sed addit, *iſtis;* colligi possit, de pusilis ætate dictum hoc esse, qualis erat puerulus, quem *advocatum in medio discipulorum statuerat:* vers. 2. Attamen quum suos ad qualitatem talium ætate pusillorum revocet (quod intelligi non potest de ætatis parvitate & humilitate, sed necesse est ut ad animi demissiōnem atque modestiam referatur) ideo quod hic dicitur, exponendum est de utrisque tām æstimationq quām ætate pusillis. Nihil enim coram Deo discriminis adfert ætas, sed magis animorum qualitas. Infans erat Esavus, quum adhuc in matris utero constitutus à Deo odio haberetur: Jacobus vero non solum infans, sed & seruex Deo dilectus erat. Apostolum adeamus, ex quo quid hujus rei sit haurire possumus: *Rebecca, inquit, quum ex uno concepisset, nempe ex Isaco patre nostro, hac experta est.* Nondum enim natus pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, *Major serviet minori.* Sicut scriptum est: *Iacobum dilexi, Esavū autem odio habui.* Rom. 9. 10-13

Uſus ad παιδεῖα.

Mandati Servatoris nostri memores, ne unum quidem *ex parvis*, imò minimis Dei servis contemnamus. Parvi ætate non sunt contemnendi. Quot ἄρρενοι & in Deum ingrati parentes inveniuntur, qui liberos suos, non pro singulari Dei dono & benedictione, sed pro rejectamentis quasi & gravi onere habent, aut saltē eos negligunt & fastidiunt? Certè multi parentes, non humili tantum sed honesto etiam atque illustri loco nati, majorem curam atque rationem pecorum suorum vel equorum generoforum, vel canis

C O N C I O P R I M A

catis venatici, quām liberorum habent. Iste liberorum contemptus in varios se ramos diffundit. Ac primō quidem turpis ille neglectus & procrastinatio pædobaptismi satis superque arguit, quām liberi fastidio sint pluribus parentibus. Nonnulli enim liberorum Baptismum in dies, septimanas, & menses aliquot differunt. In Veteri Testamento *omnis mas, octo dies natus, circumcidendus erat*, ex Dei instituto. Gen. 17. v. 12. Hujus instituti violatores, pro *federis ruptoribus* Deus habuit, ac *ex populo suo excendi voluit*. Ibid. vers. 14. Expertus Moles, qui filioli sibi nati circumcisionem negligens, præsentissimum sibi accersivit periculum. Nam *Iebova occurrens ipsi queſivit morte eum afficere*. Exod. 4. v. 24. Atqui circumcisioni successit Baptismus. Col. 2. v. 11. 12. Huic fundamento innitur pathetica illa Augustini exhortatio: *Rogo vos, fratres, ut quicumque aut filium, aut vernaculum suum baptizari desiderat, jam nunc eum Ecclesiae offerre non differat: quia non est justum, ut res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligenter aut tardius quād expedit requiratur.* Serm. 71. de Tempore, qui est de immolatione Isaac. Vestras appello conscientias, parentes, quid vobis animi fore putatis, si interea citâ morte infantes non baptizati occumbant? Evidem salutem iporum non desperamus, edocti per Ezechielem, *filium non moritum propter iniquitatem patris sui*. cap. 18. 17. sed fieri haud potest, quin vestra conscientia, dummodo cauterio non sit resecta, graviter torqueatur, quod vestro defueritis officio. Nec video, quomodo facti vestri rationem Deo sitis comprobaturi, qui vanitates & luxum mundi sectantes, Dei mandatum in liberis vestris negligitis, eosque coelesti hæreditate & federis gratuiti promissione, quantum quidem in vobis est, privatis. Næ vindices Del manus hoc nomine non effugietis. Vicissim dulce parentibus Baptismi infantium suorum maturatio solatum präbet, si statim Deus eos hinc evocet. Mandatum enim

enim Dei exhauserunt: officium liberis debitum exolverunt, de infantium salute, ex federis sigillo atque testimonio certi. Tām enim in signo, quām in promissione federis, Deus est verax. In hanc contemtorum infantium, & violatorum Baptismi classem etiam referendi sunt illi parentes, qui turpi pudore confusi, aut superbiâ, fastidiōve divinæ institutio-
nis correpti, ipsi infantes Christo in Baptismo non offerunt, sufficere rati, si uno alterōve teste adhibito, cum obstetricie illum in templum ablegent. Ecquī, dic amabō, decentiūs aut magis ex officio debent & possunt *parvos*, per Baptismum consecrandos, Deo sistere, quām ipsi parentes? Ut & sanctâ suarum totiusque Ecclesiae precum *tauτωνια*, infantem sacrosanctæ Triadi commendent: & fidem testifcentur, non quam infans, sed quam ipsi habent in Christum Servatorem, in quam infantem obsignari petant, ac in qua eumdem enutrire velint & instituere. Cogitare hīc etiam atque etiam decebat parentes, liberorum suorum Baptismū nullo alio firmiori nisi fundamento, quām federis gratuiti, cum parentibus à Deo initi atque icti: adeò ut dubitari non immerit queat, quo jure Baptismo infantes eorum tingi possint, qui federis hujus contemptores palam se declarant. Hoc ipsum sanè, Legis ministerio adhuc vigente, fieri à parentibus consueuisse, non dubiis rerum argumentis probari potest. Quis enim Christum infantem, ex Legis de primo-
genitis præscripto, Hierosolymam adduxit, ut *sisteret eum Domino?* Nōnne virgo *Maria*, comitata *Iosepho*, qui cum patris vices gereret, suo hīc officio etiam satisfacere voluit? Luc. 2. 22. Samuel puer non nisi ab Hanna matre & patre Elkana, Deo oblatus est & consecratus, postquam educatus effet. 1. Santi. 1. 24. Lucas certè author est, Ioannis Baptistæ cognatos & accolas, ad ipsum octavo die circumcidendum convenisse; nihil verò de nomine infantis imponendo, sine patris consilio, authoritate, & voluntate, autos

ausos fuisse. cap. 1. 59. & seqq. Et Christus ipse verbis factoque probavit pietatem parentum, qui puerulos suos ipsi offerebant, ut tangeret eos. Marc. 10. 14. Adhac fædo liberorum contemptu le obstringunt parentes, qui adultiores ad scholam non mittunt, ut in pietate, humanioribusque literis & bonis moribus erudiantur. In hanc incuriam & aspergimam parentum gravissimè invehitur Chrysostomus: *Vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasinem atque mulierem, procuratoremque ac dispensatorem, qui nobis magnâ benevolentia afficiatur, inquirimus. Cæterum quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus, neque curamus quo pacto filium nostrum fideli cuiquam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam possit.* Et certè nulla nobis possessio, nullus fundus aequè nobis gratus atque charus esse debet: quippe hæc omnia filiis queruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur, quod profectò stolidissimum atque absurdissimum est. Homil. 9. in 1. Timoth. cap. 2. Sicut nulla fere arbor est, quæ non sterilescat & tortuosa fiat, si cultura desit: Ita nullum tam felix est ingenium, quod citra institutionem & rectam educationem non degeneret. Scholæ seminaria sunt, in quibus teneræ plantæ panguntur, ut quum excreverint, in hortum Ecclesiæ, Reipublicæ, aut Oeconomiæ transfrantur. Quantus vir evasit Samuel, disciplinæ Helis sacerdotis à parentibus traditus? 1. Sam. 1. vers. 24. & seqq. Praeterea rei sunt contemptus liberorum suorum parentes, qui à primis annis eos in disciplina & admonitione Domini non enutriunt, sed fræna eis innatae malitiæ, impietatis, & petulantiae laxant. Pecudes suas bovesque & oves curant, ac agros colunt: Liberos possessionem optimam & pretiosissimam negligunt. Utique satius esset, ipsorum porcum, quam filium esse. Provident omnibus liberorum corporibus necessariis: animas eorum perire sinunt: de cibo potuque

tuque vitae, vestibus justitiae, ac virtutum ornamenti patrum solleici. Pietas lautissimum atque amplissimum est patrimonium, quod relinquere liberis suis parentes possunt. Seriò Deus parentibus edicit: *Erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. eaque acutè ingeres filii tuis, ac loqueris de eis quum sedes domi tue, & quum ambulas per viam, quum cubas, & quum surgis, etiam allegabis ea in signum manui tue, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos: denique inscriberea postibus domus tue, & portis tuis.* Deut. 6. 6—9. Nimirū instar cotis est paterna institutio, quæ ad pietatem liberorum animi aciuntur. Et quemadmodum palum, ut in durissimam terram defigi possit, acuimus: Ita liberis acienda est & identidem inculcanda reverentia Jehovæ, ut eâ etiam tardissima ingenia imbuantur. Nec excusare se de liberorum contemptu possunt illi parentes, qui eos labori, & honesto alicui officio non assuefaciunt, ut justam ætatem consecuti, ipsi sibi suisque victimum acquirere possint. Hi pulvinar Diaboli, otium, liberis suis substernunt. Otio nulla liberis præsenterunt pectis. Nam multum malum docuit otium, Siracide teste, cap. 33. 28. Viderunt hoc olim protoplasti ipsi, qui quamvis universi mundi domini essent, ab otio tamen liberos suos abstraxerunt. Fuit enim Abel pastor gregis, & *Ca* in fuit agricultor. Gen. 4. 2. Et filii Iacobi Patriarchæ rei pastorticæ studio commendantur. Nam interrogati à Pharaone rege Ægypti: *Quæ sunt opera vestra?* responderunt: *Homines pecuarij fuerunt servi tui ab adolescentia nostra; tam nos, tam maiores nostri.* Gen. 46. 33. 34. Denique & illi parentes liberos contemnunt, qui ranti eos non faciunt, ut propter eos à scandalis dandis cavere sibi velint. Hi, quod horrendum & detestabile scelus, liberis suis authores sunt maleficiorum, fortiusque eo exemplis pravis, quam mortis trahunt. Funes sunt exempla mala, quibus post parentes liberi trahuntur. Unde natum proverbium: *Quæ lis*

CONCIO PRIMA

lis mater, talis filia ejus. Ezech. 16. v. 44. Ast si proba sint parentum exempla, pedamentorum instar habent, quibus liberi & domestici, velut novellæ vites, statuminantur, ut in solidam pietatem & virtutem adolescere possint.

Parvi cognitione Dei, & infirmi fide non sunt contemnendi. Paulus eos qui, *libertatis Christianæ abuso, in fratres fidem infirmos peccant, & conscientiam ipsorum infirmam vulnerant, in Christum peccare affirmat.* 1. Cor. 8. 12. Tria h̄ic mala Apostolus cumulat per *ἀνέγνωσιν*. Parvorum & infirmorum fide contemptores, & offendiculorum authores *peccant in fratres.* Grave hoc peccatum est & contra naturam: quia fratres non lædere, sed diligere jubet naturæ instinctus. *Vulnerant conscientiam ipsorum infirmam.* Gravius hoc & crudelius facinus. Quid enim inhumauius existimari potest homine, qui ægrotum vulnerat? & quidem non corpus aut faciem, sed conscientiam ejus, cuius læsio mors est? Addit Paulus: *Peccant in Christum.* Næ hoc longè gravissimum, lædere & vulnerare ipsum Christum, à quo redempti sumus. Triplici autem ratione, quod in fratres infirmos peccatur, in Christum ipsum redundat: tūm quia quæ servis suis sunt, Christus pro in se factis imputat: *Qui, inquit, vos aspernatur, me aspernatur.* Euc. 10. 16. tūm quia in corpus Christi mysticum sœviant, qui membra ejus percutiunt. Sauli dicit: *Saul, Saul, quid me persequeris?* *Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Act. 9. 4. 5. tūm denique quia opus Christi, quod propriâ morte absolvit, illi quantum in se est, contemptu & propriâ ambitione destruunt. *Parvi & infirmi*, in quibus vel scintilla fidei est, non sunt contemnendi, sed magni aestimandi, quippe opus Dei; Rom. 14. 20. non prorsus dejiciendi, sed erigendi; non scandalizandi, sed ædificandi, exemplo Christi, qui arundinem quas satam non confringit, & linum fumigans non extinguit. Matth. 12. 20. Atque huc tendunt hortatus isti Apostolici: *Rum.*

qui fide est infirmus, assumite, non tamen ad altercationes disceptationum. Rom. 14. 1. *Debemus nos, qui firmi sumus, infirmates imbecillorum portare, ac non indulgere nobis ipsis.* Itaque unusquisque nostrum proximo placeat in bonum, id est, ad ejus ædificationem. Ibid. cap. 15. 1. 2.

Porrò qui *parvi* sunt donis nobisque inferiores, propter istorum donorum paucitatem non sunt fastidiendi. Plura illis dona Spiritus sanctus non dedit. Quare quum Deus in illa donorum mensurâ acquiescat; acquiesceré nos quoque meritò in illa debemus. Piè Apostolus: *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus; distribuens privatim dona singulis sicut vult.* 1. Cor. 12. v. 11. Cœlestis paterfamilias servis suis dedit, huic quidem quinque talenta, alijs autem duo, alijs verò unum: unicuique secundum ipsius facultatem. Matth. 25. v. 15. Quod si pluribus te & uberioribus donis Deus ornavit atque ditavit, demissiore atque gratiore animo cœlestis Largitoris munificentiam agnosce & prædicta. Pluraq; accepit, de pluribus rationem reddere cogetur. Etiam i.e., qui in exiguo fidelis fuerit, fidelis & bonus servus audiet, per multa constituetur, & in gaudium Domini sui ingrediens. Matth. 25. 21. Fieri potest ut tu proximum superes cognitione & eruditione; sed fortassis ille tibi anteit charitate, vita pietate, & diligentia. Verbo dicam: nulli, ne abjectissimi quidem & vilissimi in hominum oculis, contemnendi sunt. Quod illi jam sunt, tu fieri potes: vicissim quod tu es, illi fieri possunt. Deus hanc ipsis sortem tribuit; si lautior tibi obtigerit, gratiorem te Deo præbe. Multa qui accepit, ab eo multa Deus reposcit. Quum olim Philosophi Graziae Ecclesiam Corinthiacam riderent & contemnerent, eo quod ex ignobilibus & plebejis, idiotisq; & indoctis magna ex parte constaret; Apostolus eam hac consolatione erexit: *Cernitis vocationem vestram, fratres: vos videlicet uon esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles.*

nobiles. Verum quae stulta sunt mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: & quae sunt infirma mundi, elegit Deus, ut pudefaciat valida: & quae ignobilia sunt in mundo, & prouibito habita, elegit Deus, & ea quae non sunt, ut ea quae sunt aboleat: ut ne glorieatur ulla caro in ejus conspectu. 1. Cor. 1. 26—29. Huc, huc aures advertite mundi filii, qui sapientiam, potentiam, & nobilitatem jactatis, vestroque fastu parvos contemnitis. *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Ibid. cap. 3. v. 19. Ille demum verè sapiens, est, qui cognoscit Iehovam, sive is magnus sit, sive parvus in oculis hominum. Ieremi 9. 24. *Actu potens ne gloriare in potentia tua.* Ibid. vers. 23. Etiam infirmissimus potentior te est, per cuius infirmitatem *potentia Domini consummatur.* 2. Cor. 12. 9. Ac quamvis generis nobilitate quis superet Dei filium, obscuris natum parentibus, at, Spiritu sancto judice, *generosiores sunt, quod sermonem Dei cum omni alacritate recipiunt.* Act. 17. vers. 11. Eapropter Apostolus Jacobus gravissime in προσωπολήγετας invehitur, qui cum parvorum & pauperum contumeliam atque contumeliam divites ac magnates colunt. *Fratres mei, inquit, ne cum acceptione personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi gloriose. Nam si quis in cætum vestrum ingrediatur, aureum gestans annulum, ueste splendida, ingredietur autem & pauper cum sordida ueste: & respexeritis ad eum qui uestem gerit splendidam, & dixeritis ei, Tu sede hic pulchre: pauperi vero dicatis, Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum: nonne discrimin feceritis apud vos, & facti fueritis iudices male disceptantes?* Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes mundi hujus ut fierent divites fidei, & haeredes regni quod promisit iis qui ipsum diligenter? At vos contumeliam affecistis pauperem. Nonne divites per tyrannidem opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalium? Nonne blasphemant preclarum illud nomen à quo estis cognominati? Quod si Legem regiam præstatis secundum Scripturam, Diliges proximum tuum ut teipsum bene.

bene facitis; Sin vero personam respicatis, peccatum committitis, & redarguimini à Lege veluti transgressores. cap. 2. v. 1.—9. Fidem cum acceptione personarum habet, qui divites & magnates honore prosequitur; pauperes autem & piros parvos despiciunt, au probroli tractat: adeoque vel hominem, vel homini fidem, religionem & dignitatem, ex habitu externo aestimat, nihil faciens veram causam, ex qua de homine pronunciari oportet. Iniquam fert sententiam, qui aurum virtuti, facultates fidei, & divitias sanctimoniae praefert. Christus habitat in omni fidei ac pio Christiano, pauperem sit, an dives nihil refert. Is igitur Christum contemnit, qui pauperem Christianum contenit. Fides non est censenda ex divitiis: Christus non est excipiendus propter mundi bona: virtus non est amanda propter aurum: sed contraria tamen divites, tamen pauperes honorandi sunt propter fidem, virtutes, & Christum, cuius sunt membra & confessores. Qui parvos honorat, Christum in parvis honorat. Qui vero Christum honorat, ab ipso vicissim honorabitur. Immotum enim stat ejus promissum: *Honorantes me honorabo.* 1. Sam. 2. 30. Ipsi fit honor & gloria in secula seculorum. *AMEN.*

CONCIO SECUNDA

I N

M A T T H. XVIII. verf. 10.

Dico enim vobis, quod Angeli eorum in celis semper vident faciem Patris mei qui in celis est.



Ectè atque ex veritate Deus gerit nomen *Videntis*; Gen. 16. 13. sive eum ut Deum omniscium, sive ut Patrem clementissimum consideremus. Quatenus *Deus omniscius*, omnia omnium hominum cogitata, dicta, & facta, tām mala quām bona videt. Testes in hanc rem omni exceptione majores fisto; Deum ipsum: *Ego, inquit, Iehova scrutator cordis, probator rerum: idque ut deum cuique secundum vias suas, secundum fructum actionum suarum.* Ierem. 17. v. 10. Neque sequiūs Ioannes, illæ Christi Servatoris deliciæ: *Ipse Iesus non credebat eis semetipsum, eo quod non erat omnes: nec opus erat ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ioan. 2. v. 24. 25. His adjunge testimonium Pauli, Gentium in fide Doctoris: *Non est ulla res creata non manifesta in conspectu ipsius: immo omnia sunt nuda & intimè patentia oculis ejus quicum nobis est negotium.* Hebr. 4. vers. 13. Quatenus *Pater clementissimus*, Deus respicit fidèles oculo benignissimo & misericordissimo, omnesque eorum pressuras atque necessitates videt, ad hoc ut eis optinetur:

IN M A T T H. XVIII. v. 10.

37

letur. Ipsum adi & audi: *En in manibus sculpsi te: muri tuī ē regione mei versantur jugiter.* Esai. 49. 16. Inde cluet fidelis animarum nostrarum in pedes, quas contra omnes infidiatores atque exploratores custodit, ne in prædam eis cedant. 1. Petr. 2. vers. 25. Verūm enim verò uti Philistæi *utrumque Simsoni oculum effoderunt*: Iudic. 16. 21. Ita impij irrifores Deum oculo omnisciæ ac gratiæ orbare fatagunt. Nec mirum. Nam, Davide teste, *dicunt stulti cum animo suo, non est Deus.* Psal. 14. 1. Ubi pessima quæque designant, Deum ea latere existimant. Quin blasphema illa verba eructare non verentur, brutissimi & stultissimi: *Non respicit Iah, neque animadvertisit Deus Iacobi.* Psal. 94. 7. Quando pios, omni injuriarum genere à se aliisve pressos, malis suis ingemiscere vident, in rīsum effusi, virulentum illud ingeminant: *Quomodo cognosceret Deus fortis? aut esset notitia in Excelso?* Psal. 73. v. 11. Experientia clamat. Impij parvis ætate, conditione, Dei cognitione & fide, affectu & sensu proprio, judiciove aliorum, offendicula ponentes, eosque alto supercilio contemnentes, securi sunt, ac Dei se providentiam effugere, nec debitas poenas soluturos existimant. Tanti enim Deum parvosiſtos non facere putant, ut injuriam illis illatam vindicaturus sit. Sed miserè miseri falluntur. Testatur enim Christus, pro pusillis curam agere;

I. DEUM PATREM.

II. SANCTOS ANGELOS.

III. SEMETIPSUM.

De cura Dei Patris ac honorum Angelorum pro parvis, hāc Cōcione differemus.

Deum Ter Optimum Maximum rogo, ut nobis Spiritu *πνεύματι*, reboris, intelligentiæ, fidei, obedientiæ, ac timoris sui adesse dignetur. *AMEN.*

I: C U

I. CURA DEI PATRIS PRO PARVIS.

Celestis Pater ad ministerium parvorum sanctos Angelos constituit. Christus suprà satis argumentorum posuerat, cur pusilli non sint scandalizandi & contemnendi, sed magnificiendi: utpote, quod ingressus in regnum cœlorum non nisi pusilli pateat: quod pusilli maximi sint futuri in regno cœlorum: quod qui puerulum aliquem nomine Christi excipit, Christum ipsum excipiat: quod præstiterit alicui ut demergatur in profundo maris, quam ut uni ex pusillis sit offendiculo. Verum ut altius hortatio Christi animis nostris inhæreret, nosque à contemptu parvorum abstraheret, hæc subjungit: *Dico enim vobis, quod Angelii eorum in celis semper vident faciem Patris mei, qui in celis est.* Verba hæc accuratiū expendenda sunt. Servator ita infit: *Dico enim vobis.* Quicquid pusillorum contemtores de sua authoritate, dignitate, atque impunitate, & pusillorum in oculis Dei vilitate ac fastidio sibi imaginentur, at Christus, cuius os, veritatis os est, cuius verba, verba vitae, cuius monita, via cœli, cuius iussa, servandorum exercitia, Deum solicitam pro eis curam gerere, ac Angelos suos custodes fidos, vigiles & fortes eis constituisse assentit.

Quod Angelii) De bonis Angelis Christus loquitur. Nam Angelii mali æquè filiorum Dei ac Christi membrorum, atque adeò pusillorum capitales & infensissimi hostes sunt, atque Dei Patris ac Filij ipsius Jesu Christi. Angelii boni quid sint, perspicuā hâc atq; dilucidâ descriptione explico. Sunt Dei creaturæ, spirituales, per se subsistentes, eximio intellectu, liberâ voluntate, ac singulari robore & potentia, instructæ, in suâ integritate confirmatae, Dei gloriae & electorum saluti servientes. Descriptionis hujus singula membra

Scripturæ

Scripturæ sacræ testimonii confirmo. Angelos bónos esse *Dei creaturas*, in confessio est apud omnes Christiani nominis professores. Quum enim sint substantiae, utique à Deo creati sunt. Nihil enim præter solum Deum, à seipso est. Hoc ipsum confirmat David dicens: *Spiritu oris Iehovæ totus exercitus cœlorum factus est.* Psal. 33. 6. Davidi suffragatur Paulus: *Per eum, sc. Filium Dei, condita sunt omnia, quæ in celis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, inquam, per eum, & ejus respectu condita sunt.* Col. 1. 16. Esse autem Angelos spirituales creaturas per se subsistentes; Paulo magistro didicimus, qui ait: *Angelos esse Spiritus ministerij munere fungentes.* Hebr. 1. vers. 14. Christus disertè asserit, esse eos spiritus, qui carnem & ossa non habeant. Luc. 24. 39. Quod vero Angeli sint hypostases, seu substantiae separativæ & per se subsistentes; nemo sanæ mentis inficiabitur. Neque enim Deus ulla accidentia separativæ creavit. Id ipsum evincunt, tūm actiones & opera, quæ passim ipsis tribuuntur: tūm apparitiones eorumdem in corporibus aſſumtis: tūm præmia quæ ipsis assignantur. Eximium intellectum Angelis bonis tribuimus, edocti à muliere Thekha, cuius hæc extant verba ad regem Davidem: *Dominus meus sapiens est, quasi sapientia Angeli Dei, ad cognoscendum quicquid fit in hac terra.* 2. Sam. 14. 21. De libera bonorum Angelorum voluntate Daniel loquitur, ad totum confessum coelestium Angelorum eorumq; consensum provocans: *Ex decreto vigilum verbum hoc est.* cap. 4. 17. Et Petrus Angelos in mysterium redēctionis nostri introspicere cupere affirmat. 1. Epist. cap. 1. 12. Robore Angelos & potentia singulari valere, astruit David, dum eos valentissimos robore nuncupat. Psal. 103. 20. & Paulus, qui quoque expresse ipsos Angelos Domini Iesu potentes vocitat. 2. Thess. 1. 7. Esse vero eos in integritate suâ confirmatos, satis arguit eloquim electorum

E

Angelo-

Angelorum, quo decorantur 1. Tim. 5. 21. Et huc facit illud Christi: *Angeli in celis per omne tempus intuentur faciem Patris mei*: h̄c. *Servire Angelos bonos Dei glorie*, ex Davidis liquet testimonio, ita eos alloquentis: *Benedicite Iehovae angelii ejus*. Psal. 103. v. 20. Nec aliud sibi vult phrasis isthac à Christo h̄c usurpata; *Angeli intuentur per omne tempus faciem Patris mei, qui in celis est*: de quā infra latius. Denique bonos Angelos invigilare & interfervire saluti electorum, totidem verbis Apostolus testatur: *Nonne, inquit, omnes sunt ministerij munere fungentes spiritus, qui ministerij causa emituntur propter heredes salutis futuros*. Heb. 1. 14.

Hosce Angelos Christus describit, tūm à loco habitationis, tūm ab officio eorum.

1. *A loco habitationis*; vocat Angelos in celis. Atque ab hoc habitaculo alibi appellantur exercitus celi adstante Deo, à dextera ejus & à sinistra ejus. 1. Reg. 22. 19. item celi, seu cœlestes. Iob. 15. 15. & Angelī ē cælo. Gal. 1. 8. Etsi enim Angelī aliquando à Deo in terram mittuntur; ordinariū tamē eorum domicilium est cœlum, in quo Deo adstant, laudibus eum celebrantes, & parati ad capiendum & exequendum ejus iussa.

2. *Ab officio*, Christus appellat Angelos eorum, h. e. parvorum. Non quodd̄ cuivis homini ab infantia duo Angelī divinitus assignati sint, bonus, ad tutelam; & malus, ad flagellum: quæ superstitionum quorundam sunt somnia. Neque enim dicitur, Angelum unum dabo te huic vel illi perpetuū adjunctos atque adductos esse; sed generatim Angelī parvorum dicuntur. Notum verò est ex sacris Literis, Angelos Dei modò omnes, modò singulos, ex nutu Dei, castra metari in circuitu piorum. Unum Angelum pro multis Dei domesticis excubare, ex variis Scripturæ testimoniis manifestò liquet. Davidis est illud: *Castra metatur Angelus Iehovæ circa timentes ejus, & eripit eos*. Psal. 34. vers. 8.

Unus

Unus quoque Angelus pro Hiskia & populo Judaico contra Sancheribum ac numerosissimum ejus exercitum pugnavit. Prodiens Angelus Iehovæ percussit in castris Affyriorum centum octoginta quinque millia hominum. Elai. 37. vers. 36. Vicissim multos Angelos unum pium tutari, illique servire, Spiritus sanctus testatur. Ac primò quidem se oggerit Davidicū illud: *Deus Angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus viis tuis: ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum*. Psal. 91. v. 11. 12. Adhac exempla idem loquuntur. Iacobo Patriarchæ itinere suo abeanti, obriam venerunt Angelī Dei. Dixitque Iacobus quum videret eos, *Actes Dei hæc est*. Gen. 32. v. 12. Elisæus Propheta circumcidit exercitu Syrorum, qui ad capiendum eum venerant, præsentia atque præsidio sanctorum Angelorum ministrum suum meticolosum consolatus est: *Ne metuio, ait, nam plures sunt qui nobiscum quam qui cum illis sunt*. Et aperiente Iehova oculos pueri illius, vidit quod ecce mons ille plenus erat equis & curribus igneis circa Eliseum. 2. Reg. 6. 16. 17. Nec obstat illud Iacobi Patriarchæ: *Angelus ille qui vindicat me ab omni male, benedicat pueris istis*, Ephrajimo & Menaschi. Gen. 48. 16. Nam quum eadem ab hoc Angelo Jacobus petat quæ ab ipso Deo petierat, & acceperat, Gen. 28. 15. & cap. 31. 9. eumque pari honore dignetur, non potest Angelus simpli citer, id est, creatus spiritus esse, à quo nefas fuisse pueris benedictionem precari. Ad solum Christum, Iehovam, hoc referendum est, qui dicitur *Angelus federis Mal. 3.1. Quem admodum Angelus qui antecedebat castra Israelitarum*. Exod. 14. 19. idem dicitur *Iehova*. Ibid. cap. 13. vers. 21. & cap. 14. v. 14. Christi autem mentionem Iacobus in loco allegato facit, quia illius federis cum Patribus ad nostram cum Deo reconciliationem ieci, Christus author, mediator & conservator est, solusq; bona in federe promissa content, & mala contraria depellit. Néque contrarium probatur ex

E 2

Act.

Act. 12. 15. Ubi Christiani in domo Mariae matris Ioannis congregati, Petro ostium vestibuli pulsante, dicunt: *Angelus ejus est.* Sunt enim qui existimant Christianos hos simpliciores, ex opinione Judaeis recepta, à Christi verò doctrina aliena, locutos esse de Angelis privatis. Alij hinc apparere putant, Ecclesiam eo tempore, præterquam quod ex Dei verbo nōrat, fideles præsidio Angelorum esse circumseptos, etiam hujusmodi visis assuevisse. Loquuntur enim de Petri Angelo, ut de reminimè novâ aut ambigua. Sed potest & alia esse sententia: *Angelus ejus est;* pro, *Angelus aliquis ejus nomine missus à Deo,* ut nuncier nobis aliquid de Petro. Illud certum, *Angeli* vocem sæpe etiam significare nuncium. Discipuli duo, quos ad Christum miserat Baptista, vocantur nuncij, ἄγγελοι, Joannis. Luc. 7. 24. Atque adeò commodè locus hic ita converti potest: *Nuncius est ab eo,* ut ἄγγελος non pro spiritu, sed pro homine accipiatur, qui nuncius Petri, h. e. à Petro missus, apt de Petro aliquid nunciaturus venerit: sicut *Angelus Domini* dicitur, nuncius missus à Domino. Sed pergo ad cetera. Christus Angelos párvorum vocat cœlestes illos spiritus, quod hörum custodiae & salutis essent assignati, & peculia-
riter adhibiti, ut eos tuerentur aduersus Satanam, impuros, que spiritus, ac omnium hostium vim atque insidias. Atque hoc congruit effato illi Apostolico: *Nomine omnes. An- gelii sunt ministerij munere fungentes spiritus, qui ministerij cau- sa emittuntur propter heredes salutis futuros?* Hebr. 1. v. 14. Solidum hoc est argumentum, & ad scopum Christi accommodatissimum. Evidemt contemnenti non sunt párvi, qui tam providos & validos habent defensores, Deum putat & sanctos Angelos, qui eos à contemtoribus vindicent.

Quod enim ad Deum, is injuriam pusillis illatam, fibi factam aestimat. Huc enim imprimis quadrat illud Prophetae:

Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipsius. Zachar. 2. 12. Res tenera est pupilla oculi, cuius læsionem omnes studiose præveniunt & avertunt. Hinc illud natum votum Davidicum: Iehova, servá me tanquam nigrum pupillæ oculi. Psal. 17. v. 8. Ideo Saulo Ecclesiam persequenti occinit terribile illud: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Act. 9. 4. Ac maximè quidem promptus est Deus ad opitulandum pusillis. Quod dilucidè David exprimit: *Quis est par Iehovie Deo nostro?* qui altissime habitat: qui demississime perspicit, in celis & in terra; erigens è pulvere tenuem, è sterquilino elevans egentem. Psal. 113. 5. 6. 7. Ecquis verò Deo potest resistere? Graviter atque nervosè Paulus: *An provocamus ad emulationem Dominum?* validiores eo num sumus? 1. Cor. 10. v. 22. Hoc præsidio fretus Abija Rex Judæ, animosè dicit Ieroboamo Regi Iraelis: *Ecce nobiscum est in principiis Deus ipse;* & Sacerdotes ejus cum tubis clangoris ad clangendum contra vos; filii Israëlis, ne pugnetis contra Iehovam Deum majorum vestrorum, non enim secundaremini. 2. Chron. 13. 12. Eodem respiciunt isthæc Salomonis: *Nulla est sapientia, nullaque intelligentia, & nullum consilium, ex adverso Iehovæ.* Prov. 21. 30. Quemadmodum acies oculorum, quamvis firma & valida, directo in Solem intuita, hebetatur: Sic humana sapientia & potentia, utcumque instructa, liquefacit, cum in Deum strin-
gitur. Memorabilis admodum & conspicua in hanc rem est historia; quam ex annalium monumentis cognovimus. Cum Fridericus Elector Saxoniæ Antistiti Magdeburgico Joanni, è Comitibus Béuchlingii nato, bellum facturus esset, exploratorem miserat, qui de apparatu & consiliis eius cognosceret. Is renunciabat, nihil bello opportunum parari, nec ullum conscribi militem. Antistitem præterea dixisse, *causam se commissurum Deo, qui pro se arma sit sumptu- rius.* Quod it Elector audivit: *Alius, inquit, ita insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit, se Deum defensorem habiturum.*

C O N C I O S E C U N D A

Laudandus Antistes, qui Dei patrocinio filius est : laudanus Princeps, qui Deum veritus, arma deposituit.

Quod vero ad Angelos, qui parvis affigati sunt ; nihil contra hos possunt mortales. Quid ? quod Simsonis parentes, ex solo Angelis conspectu, morituros se profitentur. Judic. 13. v. 22. Unus Angelus in castris Assyriorum perussit centum octoginta quinque millia hominum. Esai. 37. 36. Quid non possent tot Angeli, parvulis additi ? Quia vero potentia possent Angeli, ea etiam celeritate pusillis praestò sunt ad defendendum eos. Inde venti vocantur Psal. 104. v. 4. quia instar ventorum celerrime moventur, ad expedienda sibi demandata negotia. Et Scriptura sacra sub figura Cherubim & Seraphim alatos eos depingit, ut certè statuimus, incredibili celeritate ad ferendum auxilium eos praestò futuros.

Ufus I. ad ἀλεγγίαν

SAdducæorum & Libertinorum, qui dicebant, *Non esse Angelum, neque spiritum.* Act. 23. 8. Ac ne nunc quidem desunt inter Iudeos, quos non pudet affirmare, Angelos esse causas naturales, Dei iussu, vel bona, vel mala effecta producentes. Similia, & quidem absurdiora, de bonis & malis angelis nugatur David Georgius hæresiarcha, libr. 2. Mirabil. cap. 27. 28. 29. Sunt quoque, qui Angelos tantum inspirationes, vel motus & affectus, vel eventus bonos aut malos esse afferunt. Contrà ex verbis Christi liquet, & esse Angelos, & veras substantias atque hypostases esse. Quum enim semper videant Patris cœlestis faciem ; veræ utique sunt substantiae. Hoc ipsum ex eo quoque liquet, quod Angelii numero differentes coram Deo stant, ut iussa ejus capessant. Dan. 7. v. 10. Nominibus etiam propriè insigniuntur Angelii, quæ veras significant substantias. Nominantur e-An-

geli,

IN M A T T H. XVIII. v. 10.

geli, h. e. nunci, per quos Deus aliquid hominibus nunciat, item filii Dei, custodes, vigiles. Atqui tales esse non possunt nisi υφιστάμενα. Adhæc facti propriè sunt à Deo & creati Angelii. Psal. 104. v. 4. Sunt autem substantiae propriè à Deo creatæ, & accidentia concreata. Præterea Angelii edunt actiones, solis veris hypostasis propriè competentes. Nam serviant Deo, exequuntur ejus mandata, celebrent Deum, loquuntur, interrogant, respondent, docent, consolantur, abeunt, redeunt, aspergerunt humana corpora, deportant animas fidelium in coelum. Verùm actiones sunt προσάγεναι, seu suppositorum. Ex operationibus colligimus rerum essentias. Denique quum prædicti Angelii sint vitæ cum intelligentiâ & voluntate, veras illos esse substantias necesse est.

Ufus II. ad διδασκαλίαν

Deus pusillis affixat & adjungit sanctos Angelos, qui eos à contemtu & injuriis vindicant & defendunt. Puerillos etate tutantur Angelii. Misertus Deus est pueri Ismaelis sitiibundi & vagientis in deserto, & matris ejus Hagaræ, quæ moribundum abjecerat. Ita enim historia sacra: *Audivit Deus vocem ipsius pueri: quapropter inclamans Angelus Dei Hagaram ē cœlo, dixit ei, Quid tibi est Hagar? ne timeas; attendit enim Deus ad vocem ipsius pueri in loco ubi est.* Gen. 21. v. 17. Sic exstincto Herode tyranno, Deus Josephum insomnio per Angelum monuit, ut *Egypto relictā unā cum puerulo Iesu & matre ejus in regionem Israelis proficeretur*, ut hæc occasione Nazarethæ Christus educaretur. Matth. 2. 19. & seqq. Et experientia clamat, tot tamque gravia pericula infantes nostros singulis momentis circumstare, ut illis depellendis & amoliendis nulla parentum, famulorumque & ancillarum cura par sit, nisi Angeli custodes illis præstò

C O N C I O S E C U N D A.

stò adessent. Pusillos quoque *conditione*, & *opinione hominum* sancti Angeli defendunt. Eliam exulem contemtum, & insidias Jesabelis & Achabi fugientem, Deus, missio Angelo, consolatus est & refocillavit. Recumbens obdormivit sub juniperò quadam: quum ecce quidam Angelus tangens eum dixit ei, surge, comedere. Eo intuente, ecce ad locum capitis ejus placentia carbonibus tosta, & ampulla aquæ: unde comedit ac bibit, postea rursus recubuit. 1. Reg. 19. 5. 6. Lotum summo fastidio habitū à Sodomitis, Angeli cœlitus missi periculo liberarunt. Gen. 19. Petrum incarceratum & postero die occidendum, Angelus Domini è carcere eduxit. Act. 12. Pusillos cognitione Dei & fide in Christum, non destituunt boni Angeli. Apostolos, misteriorum coelestium adhuc rudiores, Angeli de certitudine summi ascensionis Christi in cœlum, tum reditus Christi ad judicium universale erudierunt. Act. 1. vers. 10. 11. Pusillis quoque *in suis oculis*, & animo demissis opitulantur Angeli. Christo ipso, sese propter nos exinanienti, & in angore constituto, ac cum ira Dei & æternæ mortis terroribus luctanti, *conspexitus est Angelus è oculo corroborans eum*. Luc. 22. v. 43. Neque verò pusillos duntaxat futantur sancti Angeli, sed etiam omnes electos & dilectos Dei filios *salutisque heredes*. Hebr. 1. 14. Quoties nos ex gravissimis & prælentissimis periculis, quæ nos ipsos latent, Angelorum ministerio subducimur? Non tantum Abrahamus famulo suo dicere potuit: *Iehova mittet Angelum suum ante te, ut accipias uxorem filio meo inde*. Gen. 24. 7. Neque solus Jacobus summi beneficij loco prædicare quivit illud: *Angelus vindicavit me ab omni malo*. Ibid. cap. 48. 16. Neque Tobias junior solummodo Angelum comitem fidum itineris habuit. Nec unus Petrus pronunciare potuit: *Nunc verè scio Dominum emisse Angelum suum, & eruīsse me è manu Herodis, & ex omni expectatione populi Iudeorum*. Act. 12. 11. Sed etiam singuli credentes gratulari sibi de bonorum Angelorum ministerio possunt.

IN M A T T H. XVIII, v. 10.

possunt. Atque h̄c in mentem mihi venit, insignis ac magnifici tituli *Regum*, quo Dei filij, à Patre suo cœlesti, Rege illo regum, & Christo Mediatore, Capite, ac Fratre suo, Rege illo gratiæ ac gloriæ, decorantur. Apoc. 1. 6. Equidem non sunt reges terreni. Disertè Christus Apostolis suis edicit: *Reges gentium dominantur eis; & qui auctoritatem habent in eas, beneficij vocantur. Vos autem non ita estote: sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est. & qui duxor est, sit ut qui ministrat*. Luc. 22. 25. 26. Nec mirum. Christus ingle, qui regio honore filios & fratres suos dignatus est, de suo regno pronunciat: *Regnum meum non est ex hoc mundo*. Ioan. 18. 36. Spirituales sunt reges. Nam post hanc uitam in regno cœlesti, tanquam membra Christi, gloriæ & honore coronabuntur, juxta illud: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vite*. Apoc. 2. v. 10. Imperium etiam, cum Christo, in omnes creatureas, ac in primis in hostes suos, obtinebunt. Huc spectat amplissimum illud Christi promissum: *Vos y estis qui permanistis mecum in temptationibus meis. Ego vero pacifcor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum: ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatut super thronos, judicantes duodecim tribus Israël*. Luc. 22. 28. 29. 30. Neque sequiū Paulus: *Si subiitterimus cum Christo, etiam conregnabimus*. 2. Tim. 2. 12. In h̄c quoque vita revera reges sunt filii Dei, quamvis abjectissimi sint in oculis mundi, quippe tanquam purgamenta mundi facti, & tanquam omnium ramentum nunc usque. 1. Cor. 4. 13. Etenim Christus ipsis imputat & donat, quicquid pro eis & fecit & passus est. Ipse Rex noster est. *Puer natus est N. C. B. I. S., filius datus Nobis*. Eiai. 9. 6. Hinc inferit Paulus: *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur*. Rom. 8. 32. Adhuc reges Christi suos fideles assecelas constituit, quia virtute sapienti sui spiritus efficit, ut peccatum, mortem, Satanam, mundum, carnem

CONCIO SECUNDA

carnem, omnesque hostes vincant, ac de iis triumphant. Tertius Apostolus, qui recensit variis & catenatis filiorum Dei adversitatibus, subjicit: *Imò in his omnibus amplius quam videntes sumus per eum qui dilexit nos.* q. d. Non modo tantis malis non frangimur, sed etiam plusquam victores sumus omnium eorum. Rom. 8.v. 37. Nec aliosrum tendunt hæc ejusdem verba: *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.* Ibid. cap. 16. verf. 20. *Deo habetur gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Cor. 15. v. 57. His adjungo istud Ioannis: *Hæc est victoria qua vicit mundum, nempe fides nostra.* 1. Epist. §. 4. Arma regalia Paulus describit: *Assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis obsistere tempore adversa, & omnibus confectis stare.* Statere igitur lumbis circumcisitis veritate, & induiti thorace justitiae. Calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis. Supra omnia assumto scuta fidei quo possitis omnia jacula Malii illius ignita extinguere. Galeam etiam salutis recipite, & gladium Spiritus, hoc est, verbum Dei: *Omni prece & deprecatione, orantes omni tempore per Spiritum, & illi ipsi rei excubantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis.* Eph. 6.v. 13 — 18. Denique vere reges sunt pij, quia regium ipsi comitatum, præconesque & custodes regios coelestis Pater & Rex adjungit, qui ipsis inserviunt, ac contra omnes hostes eos turantur. Atque hoc illud est beneficium quod Christus hic depraedicit. Nimirum ministrarunt Angeli Christo, Capiti fidelium, dum in his terris ageret. Angelus annunciat eis conceptionem, Luc. 1. 31. & nativitatem, Ibid. cap. 2. 10. 11. Angelii monitu Iosephus fugit cum Iesu & matre in Agyptum. Matth. 2. 13. Angelii ipsi à Diabolo tentato in deserto inservierunt. Ibid. cap. 4. 11. Angelus eum in mortis agone consolatus est. Luc. 22. 43. Angelus confirmavit fidem resurrectionis ejus. Matth. 28. 5. 6. Angelii testes fuerunt ascensionis ejus. Act. 1. 11. *Omnis sancti Angeli venient cum*

IN MATT. XVIII. v. 10.

ad judicium extremum. Matth. 25. 31. Quemadmodum Christo in diebus earnis suæ ministrarunt sancti Angeli: Ita quoque solicii sunt de omnibus illis, qui per fidem Christo sunt insiti. Quomodo inservierunt Capiti, eodem modo inserviunt etiam membris. Gaudent ministrare eis in terris, quos socios aliquando habituri sunt in coelis. Iacobus Patriarcha in patriam remeans, Angelico præsidio, ceu castris, cinctus fuit. Gen. 32. 2. Et piis in hac vita, quæ via est ad coelestem patriam, Angeli, fidissimi custodes, adduntur. Deus misit Angelum suum, qui occulat os leonum ut non læterent Danielem. Dan. 6. 23. Sic ab insidiis infernalis Leonis omnes pios tutos Angeli præstant. Angeli Lotum ex Sodomorum eripuerunt incendio. Gen. 19. Ita sanctis inspirationibus, & contra Diabolicas tentationes protectionibus, ex infernalibus flammis læpe nos eruunt. Ut distinctè dicam: Angeli electis ministrant, & ministrabunt in vita, in mortis agone, in fine seculi. *In vita;* nam pios dirigunt, protegunt, custodiunt. Per spiculæ Psaltes regius: *Castramentatur Angelus Iehovæ circa timentes ejus, & eripit eos.* Psal. 34. 8. Eadem sermonis limpeditate alibi: *Deus, inquit, Angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus viis tuis: ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Psal. 91. 11. 12. Elizæum Prophetam Angeli conrra vim hostilem exercitus Syrorum custodiverunt. 2. Reg. 6. 15. 16. 17. Saepè etiam Angeli pro fidelibus judicia Dei aduersus hostes Ecclesiæ exequuntur: ut videre est in excidio Sodomorum, Gen. 19. in clade exercitus Assyrii. Esai. 37. & in percussione atque interemptione Herodis. Act. 12. v. 23. Mentiibus quaque fidelium pias cogitationes suggurunt, ad pietatem eos incitant, & studia eorum provehunt. Angelus Cornelium Centurionem jubet accersere Petrum, ut ab eo in fide & pietate instituatur. Act. 10. *In mortis agone boni Angeli piis praefito sunt, & animas eorum ex corpore migrantes*

C O N C I O S E C U N D A

in finum Abrahāmi asportant: uti liquet exemplo Lazari. Luc. 16. 22. Denique in fine seculi mittet Christus Angelos suos cum tuba voce magna, & cogent electos ejus à quatuor ventis, à cōlorum extremo ad eorum extēnum. Matth. 24. 31. Separabunt etiam Angeli malos à justis, & projicient illos in fornacem ignis, hos vero introducent in regnum Patris cœlestis. Ibid. cap. 13. 42, 43.

Uſus III. ad mīcēlāv tergeminām.

I. **G**ratias animis agnoscamus & celebremus Dei infinitam bonitatem, qui non tantum terrestres creaturas in nostri ministerium deputavit, sed etiam coelestes spiritus, robore valentissimos, superaddidit, ut tanto minus de ipsius bonitate dubitaremus. Cœlestis Pater Filium suū unigenitū misit, ad nos liberandos: Filius Dei humanam naturam in personæ suæ unitatem assumit, ad nos servandos: Spiritus sanctus nos regenerat, sanctificat, consolatur & docet: Angeli à Deo mittuntur ad nos protegendos. Adeoque tota cœlestis Curia nobis quasi inservit, & sua ad nos traducit beneficia. Haud mirum: cœtūrā omnes inferiores propter hominem conditas esse; quum ipsi Angeli, longe digniores & præstantiores creature, sua nobis non dengent ministeria. Nec mirum, cœlum lucem nobis ministrare interdiu ut laboremus, & tenebras noctū ut quiescamus; quum ipsi cœlestis regni cives ministeria nobis non recusent. Haudquaquam etiam mirum, aërem nobis vitalem præbere flatum, & omne genus avium ad eum & obsequium; quum cœlestes spiritus vitæ nostræ conservandæ invigilent. Denique nequaquam mirum; aquam subministrare nobis potum, expurgare sordes, arentia rigare, & varia piscium genera præbere; quum nobis astu calamitatum & tentationum defatigatis ipsi Angeli præstò sint, ut

recre-

I N M A T T H. X V I I I . v. 18.

45

recreent. Ecquis hic non exclamat cum Psalte: Iehova Domine noster, quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum? Psal. 8. 5. Quod si princeps terrenus belli tempore ad nos belli ducem mitteret, qui ædes nostras tueatur, magni id æstimaremus: Quanta verò gratia, quod Deus ad nos nostraque custodienda ipsos cœlestes exercitus emittit?

II. Ne contemnamus parvos, qui Deo sanctisque Angelis tutoribus & custodibus gaudent. De Tyriis & Sidoniis scriptum reliquit Lucas: Herodes infenso animo erat in Tyrios & Sidonios: at illi concorditer venerunt ad eum, & persuaso Blasto qui præerat cubiculo regis, petebant pacem: eò quod aeleretur regio ipsorum ex regis agro. Act. 12. v. 20. An verò nos, parvos contemnendo & laedendo, Deum ipsum infernum nobis reddemus, in quo vivimus, & movemur, & sumus: Act. 17. 28. ejusque Angelos, quorum custodiā ne momento quidem carere possumus, quin præsentissimo nos periculo objiciamus? Stultus meritò habetur, qui cum potentiori litigat & belligerat. Quis verò Deo ejusque Angelis potentior? Quid contrà nobis imbecillius? Deus noster ignis consumens est. Deut. 4. v. 24. Angelos suos fecit ignem flammantem. Psal. 104. 4. Nos verò stipula sumus. Mal. 4. v. 1. Magni ergo faciamus pusillos, quos Deus tam charos habet. Sic etiam nos, uti pusilli, Deo gaudebimus protectore, & sanctis ejus Angelis, custodibus.

III. Sollicitè caveamns, ne vel sermonibus obscenis, vel vitæ impuritate, hosce sanctos custodes à nobis abigamus, siccq; nos iplos necessario eorum & fortissimo præsidio sollemus. Cogitemus perpetuò illos nobis præsentes adesse: ideoque quæ pudet nos coram honestis hominibus dicere aut facere, multo minus dicamus aut faciamus in eorum conspectu & præsentia, quos custodes nobis Deus addidit. Paulus iusit mulieres in sacris cætibus habere potestatem, h. c. velat

C O N C I O S E C U N D A

velamen, quod sit subjectionis symbolum, *in capite, propter Angelos.* i. Cor. ii. 10. Quanto magis nobis cavendum, ne coram his fidis sanctisque custodibus quicquam vel proloquamur vel designemus, cujas nos coram honoratis hominibus pudere queat? Sancti sunt Angeli; sanctitati ergo studeamus, si eos habere velimus socios. Casti sunt hi spiritus; igitur spurcis abiguntur actionibus. Apes expellit fumus, fætor columbas: vitae custodes Angelos lacrymabile & graveolens peccatum fugat. Amissis verò per peccata fidis hisce præsidii, quomodo tutus quis erit à Diaboli insidiis? Coelestis & spiritualis naturæ sunt Angeli: coelestia ergo & spiritualia meditemur, ut nobis adesse ipsis volupfit. Humiles sunt Angeli, & superbia penitus eis est exosa, quum tenellis pueris interfervire haud deditigentur. Quid ergo superbit terra & cinis, quum tantopere le submittant spiritus coelestes?

Ufus IV. ad *παρακλησιν.*

In hoc Dei & sanctorum Angelorum præsidio nos solemur contra Diaboli insidias & potentiam, omniumque hostium impetum atque violentiam. Magno animo invictaque fiduciâ Paulus exclamat: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. vers. 31. Eodem spiritus ardore David: *Iehova lux mea & salus mea est, à quo timerem?* *Iehova robur vita mea est, à quo expavescerem?* Psal. 27. vers. 1. Rursum: *Iehova adest mihi, non timebo, quid faciat mihi homo?* *Iehova adest mihi cum auxiliatoribus meis: ideo ego despicio oportores meos.* Psal. 118. 6. 7. Nec leviori spiritu Ioannes: *Potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo est.* i. Epist. 4. v. 4. Pater noster coelestis, uti misericordissimus, sic juxta potentissimus est ac sapientissimus, quippe magnus consilium, & amplius actione; Jerem. 32, 19. ut nos possit, velit, & nō
git.

I N M A T T H. XVIII. v. 16.

rit servare. Angeli quoque ejus nobis semper præstò sunt, herœs illi *valentissimi robore:* Psal. 103. v. 20. Hi castramentantur circa nos, ut inferorum exercitus vereri non habeamus opus. Hi ambabus nos palmis sustinent, ut ex hostium manibus facile elabi possimus. Idem animas nostras portabunt in sinum Abrahā. Tandem voce Archangeli in extremitate suscitati, *semper cum Dominis erimus.* i. Thess. 4. 16. 17. Tunc futuri sumus ut *Angeli Dei in celo:* Matth. 22. vers. 30. die ac nocte sine intermissione cum electis Angelis dicturi: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus ille Omnipotens, Erat,* & *Venit*us est. Apoc. 4. 8.

II. CURA SANCTORUM ANGELORUM
PRO PARVIS.

Sancti Angeli non tantum à Patre coelesti destinati sunt custodiæ parvolorum; sed etiam hoc suo munere promptè atque alacriter funguntur. Semper, inquit Christus, *vident faciem Patris mei qui in celis est.* Ponderosa hæc sunt verba, & accuratiore consideratione dignissima. Ac primò quidem *Patris sui* meminit Christus. Is est Deus Pater, prima Deitatis persona: Vocatur etiam & revera est *noster Pater;* Ioan. 20. v. 17. sed ex gratia & jure adoptionis propter Filium suum proprium & naturalem. Quotquot enim eum exceperunt, dedit eis *hunc* ut *filius Dei sint facti*, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Ioan. 1. 12. Christi autem Pater est, per æternam generationem, cuius modus nobis incomprehensibilis est atque ineffabilis. Disertè coelestis Pater Filio suo dicit: *Filius meus es, ego hodie genui te.* Psal. 2. 7. Æterna hæc generatio diuabus similitudinibus ab Apostolo illustratur: *Filius Dei, inquit, est effulgentia gloria, & character personæ Patris.* Hebr. 1. 3. Quemadmodum Sethius Patris sui Adami character seu *imago* erat, Gen. 5. 3. non tantum quia peccati-
ven-

C O N C I O S E C U N D A

veneno infectus, sed etiam quia verus & naturalis homo erat, corpore & animâ, ac utriusque essentialibus proprietatis constans: Ita Christus est *character* Patris, non solum quia sapientia, justitia, bonitate Patrem nobis representat, sed etiam quia eisdem est essentia cum Patre, h. e. quia aequum Christus Deus est, ac Pater. Ac ut Solis effulgenter, quae terram collustrat, ejusdem naturæ est cum luce, quæ ipsi corpori solari inest: Ita in Christo eadem reluet Deitas, quæ & Patris est; sicut dicitur: *Spectavimus gloriam ejus, gloriam, inquam, ut unigeniti egressi a Patre.* Joan. 1. 14. Appositè autem hoc Christus addit, ut monstraret atque aperiat fontem, ex quo assidua ista & intensissima cura Angelorum pro parvulis dimanat. Is est inexhaustus ille amor, quo cœlestis Pater erga eternum suum Filium fertur. Quum enim Filius Patrem nobis reconciliaret, omnes quoque ejus ministri nobis per Filium sunt reconciliati. Testis Paulus: *Libuit Patri ut pace per sanguinem crucis Christi facta, per eum reconciliaret omnia filii per eum, inquam, tum quæ in terra, tum quæ in celis.* Col. 1. verl. 20. Inde Angelus dicit Ioanni Apostolo: *Conservus tuus sum & fratrum tuorum qui habent testimonium Iesu.* Apoc. 19. v. 10. Propter peccatum Angelii nobis erant infensi. Hinc Moses: *Quum expulisset Iehova hominem, instituit à parte anteriore horti Hedonis Cerubos, flammarumque gladii se vibrantis, ad custodiendum viam quæ forebat ad arborem vite.* Gen. 3. v. 24. At Christo nato, gaudium nobis & pacem annunciarunt; Luc. 2. 10. 14. hoc ipso indicantes, Christum inimicities inter nos & ipsis exortas sustulisse.

Porrò non solum Deum Patrem suum vocat Christus, sed etiam aedit: *Qui in celis est, Deus ubique est, Celi ipsi, & celi omnium non capiunt ipsum.* 1. Reg. 8. 17. An non celos & terram ego impleo? dictum Iehova. Jerem. 23. v. 24. At autem Christus, Patrem suum in celis esse, ut hoc pacto, inter

I N M A T T H. XVIII. v. 16.

ter se & alios homines, qui naturalem in terris Patrem habent, discernat. Nam Christus secundum humanam natum in terris erat *πατέρας.* Heb. 7. 3. Disertè & sanctè mater ejus afferit: *Virum non novi.* Luc. 1. 34. Mulieris semen est Christus. Gen. 3. 15. Iisdem quoque verbis Christus potentiam Patris sui subindicat, quæ sanctos suos Angelos contra omnes parvorum hostes munit. Eapropter David Dei omnipotentiam cum ejus in celis existentia conjungit, dicens: *Deus noster in ipsis celis est, quicquid placet facit.* Psal. 115. 3. Homines etiam fortissimi, quia in terris sunt, finitam habent potentiam. Deus, qui in celis est, ejusque Angeli invicta prædicti sunt potentia. Quanto enim celum terrâ sublimius: tanto Deus ejusque Angeli creaturis omnibus sunt potentiores.

Adhæc coelesti suo Patri Christus πρόσωπον, faciem, traxit. Deus propriè corporeum vultum non habet. *Est enim Spiritus.* Ioan. 4. 24. Atqui *spiritus carnem & ossa non habet.* Luc. 24. v. 39. Metaphorice hic facies Patris cœlestis duo notat: 1. Ipsum Deum, quem Angeli vident, h. e. cognoscunt in celis. Mosi Deus dicit: *Non posset videre faciem meam: quia non potest me homo videre & vivere,* videlicet in hac mortali vita. Nam sicuti est, videri Deus in illa tantum vita potest, ubi ut vivatur est vita huic mortali mortendum. Exod. 33. 20. Hoc Angelis cum omnibus beatis in celis commune est, qui Deum cernunt facie ad faciem. 2. Cor. 13. v. 12. seu (ut Ioannis verbis utar) qui vident eum sicuti est. 1. Epist. 3. 2. 2. *Facies Dei significat splendorem divinæ gloriæ in celis potius, quam in terra, vel ubivis, resplendentem.* Coelum Dei arx est & palatum regium, in quo splendorem & maiestatem suam faciemque serenam glorioissimè & immediate sanctis Angelis manifestat. Hinc David: *Satietas gaudiorum est coram facie tua; amanitates sunt ad dexteram tuam in eternum.* Psal. 16. 11.

Hanc

C O N C I O S E C U N D A

Hanc faciem Patris sui sanctos Angelos videre Christus affirmat. Phrasis isthæc sumta est ex consuetudine hujus seculi; ac præsertim regum Orientis, qui præcipuis ministris, per quos regnum suum gubernabant, aditum dabant, ut viderent faciem suam. Esdras meminit *septem consiliorum*, h. e. summorum Satraparum, qui inde à reiecta Magorum fraude, septem regibus Persicæ adfuerunt, & foliorum conspectu liberè usi sunt. cap. 7. 14. Author libri Estheræ eos vocat *septem principes Persicæ & Mediae*, *videntes faciem regis*, *sedentes primos in regno*. cap. 1. 14. Confistere autem sic in conspectu Regis, faciemque ejus perpetuò videre posse, signum est domesticæ intimæque familiaritatis. De servis Salomonis regina Schebæ: *Beati homines tui, ait, beati servi tui isti, qui stantes coram te jugiter, audiunt sapientiam tuam.* 1. Reg. 10. 8. Vident ergo Angelos faciem Patris qui est in cœlis, h. e. adstant illi tanquam Regi, semperque ipsis aditus ad thronum Dei patet, ut mandata accipient de puerulis defendendis, ac puniendis illis qui eos contemnunt, offendunt, aut opprimunt. Daniel infinitam Dei majestatem describens, ait, *millies mille ministrae ei, & myriadum stare coram eo.* c. 7. 10. Zachariæ patri Baptista dicit Angelus: *Ego sum Gabriel, qui adsta in conspectu Dei, paratus ad capeſſenda ejus imperia: missusque sum ut te alloquar, & haec tibi lata nunciem.* Luc. 1. vers. 19. Sic Ioannes: *Vidi septem illos Angelos qui adstant in conspectu Dei, h. e. qui coram eo apparent ut ministri.* Apoc. 8. 2. Quare uti summæ principis erga subditos suos clementiæ signum est, si eos illis deputet custodes & præfectos, quos perpetuò secum habet intimos & conjunctissimos: Ita infinitæ Dei Patris benevolentiae erga pusillos suos est argumentum, quod de spiritibus suis coelestibus, qui semper in conspectu ejus comparent, illis assignat custodes. Atque ut illi haud impunè laddantur, qui suos præfectos habent ex iis, qui principi

cipi sunt quam proximi, & quibus liber ad eum est aditus, ut commode omnia ad ipsum referre possint: Ita imputatatem sibi polliceri non debent pusillorum contemtores, quum pusilli tam fortes Deoque familiares habeant tutores, qui injurias clientibus suæ fidei commissis illatas, ad Deum deferunt atque ulciscuntur.

Denique subjicit Christus: Angelos Patris faciem videre semper, seu per omne tempus. Stant enim in conspectu regum primarij ministri; sed non semper. Nam & somnum & cibum capiunt, resque suas necessarias expediunt. At sancti Angeli semper in conspectu Dei adstant, non habent requiem nec nocte. Apoc. 4. 8. Semper spirituales eorum oculi ex intuitu faciet cœlestis Patris desiderio & voluptate sanctissimâ incenduntur, ad Deum laudandum, & mandata ejus execendum. Semper canunt τριČαγίων illud: *Sanctus, sanctus, sanctus est Iehova exercituum: implet totam hanc terram gloria ejus.* Eſai. 6. 3. Semper exspectant Dei iusta; ideo spiritus ministerij munere fungentes cluent. Hebr. 1. 14.

Uſus I. ad παιδεῖα triplicem.

I. **P**er animam caveamus, ne parvos contemnamus. Subditæ, præsentibus magnatibus, consiliariis & primariis servis regum ac principum, concives & conterraneos suos principi ejusque aulicis & ministris charos, injuriā afficere non audent. Nonrunt enim eos hoc ad dominum suum delatueros, & vindictam de injuriosis in subditos ejus sumtueros. Ita nimirum & nos cogitemus, Angelos, intimos Dei ministros, & mandatorum ejus executores, tum nostra videre facta, tum faciem Patris in coelis. Quare saluti nostræ consuluerimus, si parvulis non fuerimus offendiculo, neu injuriam illis fecerimus. Quod si eos scandalizaverimus aut contemserimus, Angelii ad Patrem coelestem rem omnem referent, ac ab ipso emissi & jussi la-

Iælos defendant & lædentes punient. Hoc se solatio erexit David Saulē fugiens: Deus fortis, inquit, mittet e cælis ut seruet me, afficiens eum probro, qui me anhelus persequitur vehementissimè. Ps. 57. 4. Daniel, à Dario Medo, urgentibus proceribus, leonibus obtrusus, & à Deo servatus, regi dicit: Deus meus misit Angelum suum, qui occlusit os leonum ut non læderent me: propterea coram eo puritas invenitur in me; etiamque coram te, ô Rex, maleficium non commisso me. Dan. 6. 23. Quum Ptolomæus Philopater, rex Ægypti, Iudeos per elephantes conculcaturus esset; Iudei magnum clamorem in cælum extulerunt, aded ut adjacentes convalles ipsæ unæ personantes castris tatis necessarium fletum excuterent. Tunc glorioſſimus, omnipotens, & verax Deus ostendens sanctam faciem suam aperuit portas cæli, & quibus gloriâ instructi duo formidabiles que aspectu Angeli omnibus manifesti prater Iudeos descenderunt. Et resistentes impleverunt adversariorum copias perturbatione & metu, immotisque ligarunt: pedicis, aded ut ipsum regis corpus horresceret, & oblivio audaciam ipsius que tam graviter inflammata fuerat occuparet. Bestie vero conversæ in copias armatas quo subsequebantur, proculabant: & profligabant illas. 3. Maccab. 6. 16—19. Rursus David Deum in dandis sibi victoriis usum esse ministerio sanctorum Angelorum, prædicat: Curruum Dei erant duce myriades, millia multiplicia: Dominus cum illis erat, Dominus Sinai, Dominus in sanctuario. Psal. 68. 18. Per currus Dei sanctos Angelos intelligit. Solebant enim milites, saltem præstantiores, curribus vehi quum præliaturi essent: ut videre est Jof. 1. 1. 4. & cap. 17. 16. Judic. 4 v. 3. & alibi. Et sanè, si unus Angelus in castris Assyriorum stragem edere potuit centum octoginta quinque millium hominum; Esai. 37. 36. quid dicendum de tot myriadibus, pusillis defendendis destinatis?

I. I. Quum sancti Angeli se, ex mandato Dei, ad ministeria parvolorum demittere non erubescant; nec nos ministri in servire pudeat, Paulus Apostolus, qui intertium usque

que cælum raptus fuerat, 2. Cor. 12. 2. omnibus scipsum servum fecit. 1. Cor. 9. 19. Hunc & nos imitari decet, & sancto huic ejus monito animos advertere: Nihil gerite per contentiones aut per inanem gloriam; sed ex animi submissione alij alios existiment sibi præcellere. Philip. 2. 3. Quidquid ipse Christus, Angelorum Creator, Dominus & Caput, se inanivit, & formam servi accepit. Ibid. vers. 7. Ipsum audite: Servitute premis me propter peccata tua, fatigas me iniquitatibus tuis. Esai. 43. vers. 24. Item: Filius hominis non venit ut sibi ministret, sed ut ministret. Matth. 20. vers. 28. Quidni ergo nos ex charitate serviremus alij aliis? Gal. 5. vers. 13. Sancti Angeli, heroës illi fortissimi, ne minimum quidem fastidunt: imò ne Lazari quidem, pauperrimi mendici, animam in sinum Abrahami aportare deditantur. Luc. 16. vers. 22. Et nos fastidiremus eos, qui ortu & morte nos refenerunt? qui eodem coelesti Patre, Servatore, Consolatore, gaudent? ejuſdemque fidei, spei, & vitæ æternæ confortes iunt? Piè Petrus: Ut quisque accepit donum, ita alius in alium illud subministret, ut boni dispensatores varia Dei gratiae. 1. Epist. 4. 10. Hoc sibi dictum reputent Magistratus. Honore, ad quem evecti sunt, ne superbiant: sed potius ad inserviendum omnibus vocatos se cogirent. Revera enim magistratus munus, splendida est servitus. Ideo Antigonus. Rex Macedonum conspiciens filium suum eos in quos habebat imperium ferocius tractantem atque insolentiū: An ignoras, inquit, fili, regnum nostrum esse splendidam servitutem? Nam princeps non minus servire cogitur populo, quam populus principi: nisi quod id princeps facit cum dignitate: aliqui revera mutua servitus est. Sæpe vigilant reges, quum securè dormiunt subdit. Sæpe curis varijs in lecto distrahuntur principes, quum subjecti, cubitum euntes, curas, quod adjunt, in calceis relinquunt. De Assuero, (qui regnum obtinebat ab India usque ad Ethiopiam, centum viginti septem pre-

vinciarum. Esth. i. 1.) historia sacra: *Nocte illa fugiente se
mnoregis, edixit afferri librum commentariorum, Chronica, que
fuerunt letta coram eo.* Ibid. cap. 6. v. 1. Sed & vos Ecclesiæ
pastores vobis cum hoc recogitate. Angelorum nomine vos
dignatus est Deus. In Veteri Testamento *Angelus Iehovæ
exercituum*, vocatur *Sacerdos*. Malach. 2. 7. In Novo Angelè
dicuntur ministri *septem Ecclesiarum Asiaticarum*. Apoc. 1. 20.
Munus quod *eis dedit Deus*, est *ministerium reconciliationis*. 2.
Cor. 5. 18. Sit ergo hoc singulorum Symbolum: *Aliis in-
serviendo consumor.* Planè uti candela aliis lucens, & ignis a-
liis ardens, seipsa lucendo & ardendo consumunt. Deniq;
omnes & singuli Christiani, non sibi duntaxat, sed & pro-
ximo se natos esse cogitent. Cainica vox est, quæ Dei fili-
os dedecet: *An custos ego sum fratri mei?* Gen. 4. 9.

III. Exemplo sanctorum Angelorum, qui Dei iussa ca-
pessere atque exequi parati sunt, nos quoque promptè ac a-
lacriter Dei mandata excipiamus & exauriamus. Etenim
si tam excellentes creaturæ nullum Dei imperium detre-
stant; utique fæcum & turpe fuerit, nos naturâ perditos, &
per Christum liberatos, non solum non obsequi, sed etiam
resistere Dei voluntati. David, postquam ad laudes Dei
provocasset Angelos dicendo: *Benedicite Iehovæ, Angelii ejus,
valentissimi robore, efficientes verbum ejus, austultantes voci ver-
bi ejus;* mox subicit: *Benedic anima mea Iehovæ.* Psal.
103. vers. 20. 22. Et Christus orare nos docuit Patrem
coelestem: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita etiam in terra.*
Matth. 6. 10. Sed iussa Dei in speciem exequi fatis non est;
ad imitandum ergo nobis proponamus Dei Angelos. Hi
promptè & alacriter Dei voluntatem faciunt: unde *Ce-
ribini alati*, vocantur Exod. 25. 18. Nos Davidi succinamus:
Facere voluntatem tuam, Deus mihi delector. Psal. 40. 9. Populus
Christi, *populus est summè voluntarius.* Ps. 110. 3. Adhaec An-
geli ardenter magnoque zelo iussa Dei exequuntur: inde
Sera-

Seraphimi, urentes, nuncupantur. Esai. 6. 2. Sic spiritu ferventes
nos esse oportet. Rom. 12. 11. David de se: *Zelus, ait, domus tua
exedit me.* Psal. 69. 10. Non ita Laodicensiū Antistes, in quem
Christus invehitur: *Novi opera tua, nempe te neque frigidum es-
se, neque fervidum: utinam frigidus es, aut fervidus.* Itaque quo-
niā tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurū est ut te evomam
ex ore meo. Apoc. 3. v. 15. 16. Porro non ex parte, sed per-
fectè Dei mandatis parent sancti Angeli. Efficient verbū
Iehovæ, auscultant voci verbi ejus, faciunt placitum ejus. Ps. 103.
20. 21. Ita & nos perfectè, h. e. sincerè, non quædam, sed
omnia Dei mandata peragere oportet. Facem integratatis
nobis præfert Rex Hiskias: *Obsecro, inquit, Iehovæ, recordare ja-
me indefinenter ambulasse coram te fideliter & animo integro,* &
quod bonum videtur in oculis tuis fecisse. Esai. 38. 3. Denique An-
geli semper Dei faciem vident, & voluntatem ejus faciunt. Idi-
plum & nos decet. *Serviamus Deo, cum sanctitate & justitia
in ipsis conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus.* Luc. 1. 75. Ita
de se David: *Benedic Iehovæ omni tempore, jugiter laus ejus
erit in ore meo.* Psal. 34. 2.

Ulus II. ad παρεκκλησιν.

Nihil incommodare & nocere saluti nostræ possunt
corporales & spirituales hostes, quum Deus san-
ctos Angelos nostræ defensioni destinârit, qui per-
petuò adstant in conspectu ejus ad exequendum iussa de-
nobis tuendis, & hostibus coërcendis. In primis verò sola-
tum hoc auget id quod Esaias Propheta de piorum Israëli-
tarum per Christum contra hostes protectione scriptum re-
liquit: *In omni angustia eorum non affecit eos angustia, sed Ange-
lus faciei ejus servavit eos; dilectione sua, & clementiâ sua ipse
vindicavit eos, & imponens eos sibi bajulavit eos omnibus diebus
seculi.* cap. 63. 9. Christus Mediator Dei ac hominum, An-
geli.

gelorum caput, est *Angelus ille faciei Iehovæ*, de quo Deus ad populum Israeliticum per Mojen : *Ecce, ego mitti Angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi. Cave tibi ob præsentiam ejus, ne exacerbes eum : quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo.* Nam si sedulò auscultaveris voci ejus, & feceris omnia quæ edicam : planè inimicabor inimicos tuos, & hostiliter agam cum hostibus tuis. Exod. 23. 20. 21. 22. Vocatur autem Christus *Angelus faciei Iehovæ*, tūm quia tanquam Sacerdos æternus ministrat coram facie Dei, & intercedit pro nobis, atque ad eō est in sinu Patris. Ioan. 1. v. 18. Unde *Angelus federis* dicitur. Mal. 3. 1. tūm quia nobis est à Patre imago Dei invisibilis, Col. 1. 15. quem qui vidit, vidit Patrem. Ioan. 14. v. 9. Næ hīc Angelus fortior est omnibus qui in mundo sunt. Inde est illud uberrimum ejus ac consolatione plenissimum promissum : *Ego vitam æternam do oīibus meis, neque peribunt in eternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea. Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei. Ego & Pater unus sumus.* Ibid. cap. 10. 28. 29. 30.

Usus III. ad ἑλεγξίν geminam.

I. *R*edarguendi hīc sunt, qui ex verbis hiīce Christi colligunt, sanctos Angelos esse invocandos. Ipsis Apostolorum temporibus serpere nefandus iste & hæreticus error coepit: ideo Paulus contra eum Colossenses præmonuit: *Nemo adversum vos rectoris partes sibi ultrò sumat in religioso cultu Angelorum.* cap. 2. 18. Ac quamvis Synodus Laodicena hanc superstitionem & idolatriam damnasset, Iuio tamen adhuc tempore in Phrygia & finitimiis locis Orationis sancti Michælis visa fuisse, Theodoreetus Cyri Episcopus testatur, Meminit etiā Augustinus Angelorum in cultu

Angelorum inclinatorum. De Hæres. cap. 39. Pontificii, idololatræ & Angelorum cultores penitissimi, certas habent preculas ad Angelum custodem directas. Inter quas una est quam adscribam ex Hortulo animæ, Antverpiæ apud P. Bellerum cum Privilegio excuso, pag. mihi 152. *Obsecro te, Angelice spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut indefinenter protegas, defendas, munes, munias me ab omni incursu Diaboli, vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle à me per virtutem sanctæ Crucis omnem tentationem Satanæ: & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum Iudicem, ut nihil lovi in me habeat. &c.* Evidenter non ideo invocandi sunt Angeli, quia vident faciem Patris: quin potius hoc nomine invocandi non sunt, quod tantum adstant Deo ut ministri. Neque enim honor soli domino debitus, servo est tribuendus. Graviter Jehova ipse: *Gloriam meam alteri non dabo.* Elai. 42. 8. Solus Deus invocandus est: quia ille solus gemitus cordis, & cogitationes nostras novit. Huic solido fundamento preces superstruendas esse docet regum omnium sapientissimus Salomon: *Tu exaudito è oīis, statione habitationis tuae, ut condonans facias aut des unicuique secundum omnes vias ejus, quas agnoscet apud animum ejus: tu enim nosci solus animum omnium filiorum hominis.* 1. Reg. 8. 39. In ipso, tanquam omnium rerum sciente & potente, tutò & plenè possumus confidere. Atque huc vergit illud Pauli: *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Rom. 10. 14. Fides & invocatio pari passu eunt, atque in unum idemque objectum feruntur. Clarissime Christus: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* Matt. 4. 10. Angeli non modò Deo, sed & Christo homine sunt inferiores; utpote qui Caput est & Dominus Angelorum. Imò Christum adorant omnes Angelii Dei nobiscum. Heb. 1. 6. Creaturæ sunt Angeli, quas invocare haud decet. Ipsum Dei Angelum testem apud Ioannem audiamus: *Ego, inquit*

C O N C I O S E C U N D A

Joannes , procidi ut adorarem ante pedes Angelī qui mihi hæc ostendebat . Is verò dixit mihi : Vide ne feceris : conservus enim tuus sum , & fratum tuorum Prophetarum , & eorum qui observant verba libri hujus . Deum adora . Apoc . 22 . vers . 8 . 9 . Certè Apostolus salutis nostræ spem collocat , non in eo quod Angelum conservum nostrum , sed in eo quod Filiū Dei ad dexteram Patris sedentem habemus pro nobis intercessorem . Rom . 8 . 34 . Stat illud : Vnus est Mediator Dei & hominum , homo Christus Iesus . 1 . Tim . 2 . v . 5 . Nec est quod quis Angelorum religiosum cultum humilitatisprætextu obtrudat , quasi nimirum nobis , indignis qui rectâ ad Deum accedamus , ambiendæ sint Angelorum intercessiones , iisque invocandi ut ad Deum nos perducant . Etenim non abs re est , quod Paulus animi submissionem & religiosum Angelorum cultum conjungat . Col . 2 . 18 . Nempe non vera & laudabilis , sed præpostera & superstitione illa est demissio , quam patroni invocationis Angelorum animis simpliciorum injiciunt . Praeposteram appello ; quia in eo homines dejicit , in quo erecti esse debabant . Minuit atque extenuat confidentiam ipolorum eā in re , in qua laudabile est maximam habere confidentiam . Etenim propter nostram indignitatem , non Angelorum , sed Christi Iesu Mediatoris nostri θεαρθρώσ opeū atque subsidium protinus implorare debemus . Ille enim semper vivet ut interpellet pro nobis . Hebr . 7 . v . 25 . Semper comparet apud faciem Dei pro nobis . Ibid . cap . 9 . 24 . In Christo Iesu Domino nostro habemus loquendi libertatem & auditum cum fiducia , per fidem ipsius . Eph . 3 . 12 . Ideo enim se exinanivit , & carnem nostram assumit , ut liberum ad ipsum , tanquam fratrem nostrum primogenitum , accessum haberemus . Dulcissime Augustinus : Tutiū & jucundiū longuar ad meum Iesum , quād ad aliquem sacerdotum spiritum Dei . De visitat . infirm . libr . 2 . cap . 2 . Quare ista animi demissio est ableganda , quæ nos à Mediatore Christo abducit . Valeat

Valeat hac in parte illud Ioannis : Quid si quis peccārit , Ad vocatum apud Patrem habemus , Iesum Christum justum . Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris . 1 . Epist . 2 . v . 1 . 2 . Non adoramus religioso cultu aut reges & magistratus terrenos , aut verbi divini ministros , quamvis illi externo suo imperio corpora & bona nostra , h̄i suo ministerio animas nostras in via salutis dirigant : Sic nec Angelos adorare debemus , licet eadem nobis officia arcano atque invisibili modo prætent :

II . Tetur errorem errant Ubiquitarii , qui hinc colligunt , ccelum esse ubique , etiam in terris , non sursum tantum . Ubicunque , inquit , sunt Angeli videntes faciem Patris , ibi est ccelum . Sunt autem saepe in terris circa custodiā parvulorum . Ergo etiam in terris est ccelum . Inferunt autem , cælum , terram , infernum , non locorum intercedentibus , sed tantum beatitudinis & infelicitatis respectu , distingui . Sed facilis est responsio . 1 . Ne hinc quidem sequitur , cælum esse ubique : quoniam terra non sit ubique , in cælo , in inferno . 2 . Quando Angeli mittuntur in terram , utique in cœlo non sunt . Ex Euangelica historia id liquet . Missus est Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilæa cui nomen Nazaretha , ad virginem Mariam , ut nunciaret ei Christi conceptionem & nativitatem . Legatione defunctus , abiit ab ea Angelus . Luc . 1 . 26 . 27 . 38 . Rursus : Angeli descendunt è cælo , & adstiterunt pastoribus in agro Bethleemico , afferentes nuncium de Christo nato : postea ab eis discesserunt Angeli in cælum . Luc . 2 . v . 9 . 13 . 15 . Ascensus & descessus Angelorum motum localem ad opposita loca demonstrat . Nec vident Angeli in terris faciem coelestis Patris gloriosam , quæ in cœlo duntaxat resplendet : licet videant faciem Patris essentialem , quæ ubique est . Semper vero dicuntur videre faciem Patris gloriosam in cœlo , quia semper aliqui eorum manent in cælo , ablegatis aliis . 3 .

Cœlum non esse ubique, in terra, in inferno, sacra Scriptura passim clarissimè docet. Cœlum *sursum* esse dicitur, terra *deorsum*: quæ locorum sunt differentiae. Col. 3. 1. 2. Ita loca hæc distinguit David: *Ipsi cœli, cœli sunt Iehova;* terraque, quam dedit filiis hominum. Pslal. 115. 16. Et ipse Christus, docens nos orare Patrem suum: *Fiat voluntas tua, sicut in celo, ita etiam in terra.* Matth. 6. v. 10. His adsidet Pauli istud: *Ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba, descendet è cœlo: & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm. Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra: & ita semper cum Domino erimus.* 1. Thess. 4. 16. 17. Separatus utique est locus beatorum à loco damnatorum. Disertè Abrahamus ait Epuloni: *Inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut iij qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque istinc huc transire.* Luc. 16. ver. 26. Ibidem infernus locus tormenti appellatur. ver. 23. Et angeli lapli suum domicilium reliquise dicuntur. Judæ Epist. ver. 6. 4. Denique per cœlum non ipsa beatitudo intelligitur, quâ cœli incolæ fruuntur, sed certus locus. Ipsum nomen loci sâpe cœlo tribuitur. Salomon Deum precatur: *Tu auscultato è cœlis, statione habitatoris tue,* 1. Reg. 8. 43. Sic Elaias: *Ecce Iehova proditurus est è loco suo, id est, è cœlis.* cap. 26. 21. Inde enim revelatur ira Dei in omnem impietatem & injustitiam hominum. Rotr. 1. 18. Christus cœlum vocat domum Patris sui, habitationes, locum in quo futuri sunt omnes sancti. Joan. 14. 2. 3. Appellatur etiam cœlum cœlorum. 1. Reg. 8. 27' tertium cœlum: 2. Cor. 12. 2, quod est supra omnes cœlos. Eph. 4. verf. 10. Manifestè quoque cœlum ipsum à cœlesti gloria distinguitur. Pauli est illud: *Spes, id est, sperata gloria, reposita est vobis in cœlis.* Col. 1. v. 5. Petri istud: *Hæreditas que nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cœlis servata est.* 1. Epist. 1. v. 4.

JAM

Jam desino, & Concionem obsigno voto Apostoli Iudeæ, quod extat in Epistola ejus vers. 24. 25. *Ei qui potest vos custodire à lapsu immunes, & statuere in conspectu gloria sue inculpatos cum exultatione: id est, soli sapienti Deo Servatori nostro, gloria esto, & magnificentia, rebur & auctoritas, & nunc & in omnia secula.* A M E N.

C O N C I O T E R T I A

Venit enim Filius hominis ut servet quod perierat.



Imirum ita est, uti de unico nostro Servatore atque fidelissimo amico, Christo Jesu, pronunciat Joannes Apostolus & Euangelista: *Quum dilexisset suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.* cap. 13. 1. Inter homines amor ad tempus fervet, post refrigescit, si quis importunus sit & molestus amicō, eumque frequentius adeat. Et hoc est quod volebat Salomon dicens: *Mel inveniens comedis quod satis est tibi, ne saturatus ille evomas illud: Studiosè continet pedem tuum à domo proximi tui, ne saturatus tui odio habeat te.* Prov. 25. 16. 17. Sicut mel immoderatè comedentes, regurgitant & evomunt, ac ejus, quod tantopere amârunt & appetierunt, fastidio & nauseâ ducuntur: Sie ex nimis crebrâ

crebrā aut intempestivā amici aditione , ut dulcissimis ejus sermonibus & suavissimā consuetudine fruaris , vel te ejus tædium , vel ipsum tui fastidium facile capiet . Fieri enim potest , ut illi occupatiori , & rem familiarem , aliāve necessaria sedulò procuranti , obstrepens , offensioni sis , maximè si nullum modum sumptu eum onerandi statuas . Contra Christus , amicorum optimus atque fidissimus , in amore atque affectu erga suos constans est : quemadmodum ipsa essentia divinā immutabilis est ; Iacobo teste : *Apud ipsum non inest transmutatio , aut conversionis obumbratio.* cap. I. v. 17. Istam amoris Christi erga suos constantiam , immutabilitatem , atque perpetuitatem Deus ipse declarat : *Dilectione perpetua diligō te , idcirco extendo erga te benicitatem.* Ierem. 31. vers. 3. Hoc ipsum dilucide Paulus exprimit : *Dona illa & illa votatio Dei ejusmodi sunt , ut eorum ipsum penerere non possit.* Rom. 11. 29. Nec mirum hoc æquo rerum æstimatori videri debet . Quum enim Christi erga nos amor initio caruerit , ut qui nos ante iactum mundi fundamentum dilexerit ; finem certè habere nequit ; citiusque ipse Deus esse desineret , quām sibi adunatos abdicet , aut odio habeat . Hinc tantā *παρεγνοία* exclamat Paulus : *Quis nos separabit à charitate Christi ? num afflictio , num angustia , num persequutio , num fames , num nuditas , num periculum , num gladius ? Imò in his omnibus amplius quām victores sumus per eū qui dilexit nos . Nam mīhi persuasum est neque mortem , neque vitam , neq; angelos , neq; principatus , neque potestates , neque praesentia , neque futura , neque sublimitatem , neque profunditatem , neque ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei quæ ist in Christo Iesu Domino nostro .* Ibid. 8. v. 35. 37. 38. 39. Egregium atque illustre hujus sui constantis & æterni erga electos ac dilectos suos amoris specimen in verbis prælectis Christus edit . Neque enim Deus Pater duntaxat & sancti Angeli pro pusillis curam gerunt ; sed ipse quoque Dei Filius , qui ex immitto & immenso

menso amore pusillos perditos servavit , Deoque reconciliavit , intentissimā eos curā ad finem usque defendit , ne eis contemtus aliorum , & offendicula ab aliis objecta noceant . Atque hæc tertia est causa , cur non sint contemnendi parvi , sumpta à fine adventus Christi in hunc mundum , nempe *ut servet quod perierat* . Et sanè , quum Christus de cœlo descendit , ut perditos servet , parvulosque , & demissos animo , ac fide infirmos custodiat ; quicumque Christi esse volent , summopere sibi cavere debent , ne eos contemnant , vel rursus perdant , quos ipse salvos esse voluerit . Nos verba Christi in tria dispertimus membra :

I. Q U I S.

II. A D Q U I D.

III. Q U O S servatum venerit.

Dominus Jesus , virtute atque gratiâ sancti sui Spiritus , verbum suum prædicatum & auditum in cordibus nostris vivificet . **A M E N.**

I. Q U I S?

Filius hominis venit . Hoc nomine se Christus appellat , quia verus & naturalis est homo , animâ rationali & corpore constans , ex Maria virgine natus . De quo ne quis ambigat , Paulum adeat atque dicentem audiat : *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis , ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem , ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur , hoc est Diabolum.* Hebr. 2. 14. Per omnia hominibus similis factus est Christus , in omnibus ut homo tentatus est , solo peccato excepto . Ibid. cap. 4. 15. Quemadmodum enim Christus , quatenus proprius & naturalis Dei Filius , verus atque æternus est Deus : Ita quatenus *Filius hominis* , verus homo est . Qualis enim quisque est , tales gererat .

nerat. Dicebat olim Christus Nicodemo : *Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est.* Ioan. 3. 6. Dicimus & nos : *Quod natum est ex homine, homo est.* Ac in coelesti grammatophylacio synonyma sunt, *homo & filius hominis.* Ex Davidis verbis hoc liquet : *Quid est mortal is, vel homo, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visitas eum?* Psal. 8. 5. Itemque ex illo Dei pronuntiato : *Quod es tu quod timeas ab homine morituro, & à filio hominis qui ut fenum reddetur?* Elai 51. 12. Qui primo loco appellatur *mortal is vel homo*, idem mox *filius hominis* nuncupatur. Res ipsa loquitur. Debuit nos servare Christus, adeoque morte suâ Deo reconciliare. At *absque sanguinis effusione non fit remissio.* Hebr. 9. vers. 22. Erat autem Christus, quâ *Filius Dei*, atque ad eum verus *Deus*, ἀπάρτης : *nulla apud eum inest transmutatio.* Iacob. 1. 17. *Immortalitatem habet.* 1. Tim. 6. vers. 16. Quâ *Mediator pati & mori debuit*: atque ideo ex homine, id est, Maria virgine, verus homo natus est, humanamque naturam in personâ suâ unitatem assumit. Atque sic Dei tûm veritati tûm iustitiae satisfactum est. *Veritatem dixerat enim & promiserat Deus : Semen mulieris conteret serpenti caput.* Gen. 3. vers. 15. *Iustitiam*; quæ postulabat, ut eadem natura humana, quæ peccârat, ipsa pro peccato dependeret. Disertè Deus : *Anima, inquit, quæ peccat, ipsa morietur.* Ezech. 18. 4. Hæc talia ante animi oculos habuit Paulus, cùm diceret: *Sicut per contumaciâ unius HOMINS, peccatores constituti sunt multi: Ita per unius obedientiam, iusti constituentur multi.* Rom. 5. 19. Et: *Quia per hominem mors per hominem quoque resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. vers. 21. Quorundam vero hæc ? Fontem nimirum statim Christus aperit, ex quo ipsius cura pro pusillis emanat. Homo propter eos factus est, ex merâ dilectione, ut perditos servaret. Atqui horrendum est eos contemnere & perdere, ad quos servandos Filius Dei se exinanivit, & humanam natu ram

sam assumit. Adhæc quum homo verus sit Christus, non potest non sensu affici injuriarum pusillis illatarum, & commiseratione duci, quoties illi, quos tanto pretio emit, contemnuntur & scandalizantur.

Usus I. ad ἰλεγξη geminam.

I. **H**ic refutantur Platonici & deliri isti disputationes, qui mulieres, homines esse, impiè negant. Christus est *Filius hominis.* At cujus hominis? Utique non viri, sed mulieris appellatur *semen.* Gen. 3. 15. Nam virgo Maria, quæ virum non noverat, Luc. 1. 34. in utero ex Spiritu sancto concepit. Perspicuè Angelus Domini : *Quod in ea, h. e. ex ejus substantia, genitum est, ex Spiritu sancto est.* Matth. 1. 20. Atque ita eventus respondit prædictioni : *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabis, o virgo, nomen ejus Immaculatum.* Elai. 7. 14. Nimirum ἀπάρτης est Christus secundum humanam naturam. Hebr. 7. 3. *Fructus est uteri Mariae.* Luc. 1. 42. Dubitationem omniem Moles tollit dicens: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem, inquam, Dei creavit eum: marem & feminam creavit eos.* Gen. 1. 27. Utrumque ad imaginem Dei creatum esse afferit: & utrumq; tam feminam quam virum, *hominis* appellatione decorandum censet. Bestiarum, non hominum, nomine digni sunt, quotquot ab homine in lucem se editos agnosceré nolunt. Ergo mulieres per Christum non sunt servatae? Hominum enim duntaxat Servator est Christus. Certè Petrus mulieres unde heredes esse gratia vite, expressis verbis affirmat. 1. Epist. 3. 7. Paulus mulieres, perinde ut viros, servandas esse assertit, si manserint in fide ac charitate, & sanctificatione cum moderatione. 1. Tim. 2. 15. At non est in alio quoquam salus nisi in Christo. nec enim aliud nomen est sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari. Act. 4. v. 12. Verbo dicamus: **Mulieres**

Mulieres qui homines esse negant; Christum verum hominem, adeoq; hominum Servatorem esse, juxta inficias eunt.

II. Coarguitur coecus & intolerabilis error Valentiniatorum, qui docuerunt, *Christum à Patre missum, spirituale vel cœlestè corpus secum attulisse, nihilque assumisse de virginе Maria, sed per illam tanquam per rimam, aut per fistulam sine ulla de illa assumptā carne transfuisse.* August. de hæres. cap. 11. Hanc hæresin ex inferis revocarunt Anabaptistæ. Sed os illis obstruit Christus ipse, *Filiū se vocans hominis, id est, mulieris. Semen mulieris est Christus, h. e. ejusdem essentiæ ac substantiæ cum muliere secundūm carnem.* Gen. 3. 15. quemadmodum Sethus *Eva ē semen nuncupatur, quod ex ejus quoque semine procreatus, ejusdem cum illa esset substantiæ.* Ibid. cap. 4. 25. Nam Creator hominibus juxta atque omnibus & singulis animantibus indidit, non alienum semen; verum *unicuique semen suum, ut edant fructum in species suas.* Gen. 1. v. 11. 12. 28. Et disertè Christus *fructus uteri Mariæ* dicitur Luc. 1. 42. Ast aqua transiens per canalem, non est fructus canalis. Hoc ipsum Paulus confirmat dicens: *Debuit Mediator per omnia fratibus similis fieri, h. e. ejusdem cum ipsis esse substantiæ, ad expiandum peccata populi, h. e. ut victimâ passionis & mortis suæ justitiæ Dei pro reatu & offendis peccatorum fratrum satisfaceret.* Hebr. 2. 17. Neque cuim Apostolus loquitur de similitudine, vel communione, quæ in edendo, bibendo, dormiendo, vigilando &c. constitut. nam hoc pacto non magis hominibus, quam brutis similis esset. Ita piè & firmiter Ecclesia Orthodoxa semper credidit, cuius fidem bonâ fide exposuit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. pag. mihi 26. *Crede hunc unigenitum Dei Filium, propter nostra peccata de cælis in terram descendisse, adsumptā humanitatē iisdem affectibus obnoxiam quibus afficitur nostra, ex sancta Virgine atque Spiritu sancto natum esse, non opinionē & phantasiam hominum factum, sed revera: neque per Virginem*

ginem, quæ per canalem, transfisse, sed veram carnem ab ea habuisse, verè comedentem ut nos comedimus, verè bibentem ut bibimus. Nam si humanae naturæ assumtio, phantasma & imaginatio fuit, phantasma quoque salus est.

Uſus II. ad παιδεῖαν.

NE scandalizemus aut contemnamus pusillos, quos tantū Christus fecit, ut homo propter illos factus, tot tantasque afflictiones & tentationes pro eis corpore atque animâ sustinuerit. Vehementer & ferid argumentum hoc urget Apostolus, Corinthios dehortans ut ab impuris Gentilium epulis abstineant, neque prætextu scientiæ imaginarie charitate viduatæ, Christianâ libertate, in perditionem infirmorum, abutantur: *Si quis viderit te, inquit, illa cognitione præditum, in idoleia accumbere, nonne conscientia ipsius qui infirmus est instructur ad edendum ea, que sunt idolis massata? Et tuā ista cognitione frater infirmus, propter quem Christus est mortuus, peribit? Ita autem peccantes in fratres & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.* 1. Cor. 8. 10. 11. 12. Eodem & hoc ejusdem spectat: *Ne sc̄d tuā illum perditō pro quo Christus mortuus est.* Rom. 14. 15. Cogitemus, & nos homines esse, ex uno eodemque sanguine ortos, Act. 17. 26. fratres, naturâ & gratiâ. Nullus autem unquam suam iphū carnem odio habuit. Eph. 5. 29. Ergo nec nos nostram, id est, pusillos. Summæ inhumanitatis est, homines salutem mutuam non promovere: At salutem, quam Christus provexit, impedire, Diabolicum est & Antichristianum. Christus omnibus contendit nervis, ut perditos servaret: ideoque naturam nostram assumit, crucemque & paupertatem subivit. Quare quicunque parvos contemnunt, in ipsum Christum sunt injurijs. Nam sicut beneficia, quibus fideles afficiuntur, Christus sibi præstare

stita reputat, juxta illud: *Amen dico vobis, quatenus id fecistis unum ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matt. 25. 40. Ita mala Christi membris illata, in Christum ipsum rediundant. Saulo, *minas ac cedem adversus discipulos Domini spiranti*, Christus coelitus dicit: *Saul, Saul, quid me persequeris? Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Durum fuerit tibi contra stimulos calcitrare. Act. 9. 4. 5. Christus gloriani sibi datam contemnit, ut pusillos servaret. Et nos honoris nostri caula ea faceremus, quae scandalum præbent? Christus universi mundi Dominus, pauperrimam & tenuissimam conditionem delegit, ut ab interitu nos assereret. Pauli dictum est: *Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, eum videlicet propter vos pauperem factum esse, quum esset dives, ut vos illius paupertate ditesceretis.* 2. Cor. 8. v. 9. Stultissimi ergo sunt, qui lucrum se ex pusillorum contemptu collecturos existimant. Christus gaudio sibi proposito se nudavit, ut tristitiam nostram in gaudium converteret. Hebr. 12. 2. Et nos voluptatem ex proximi interitu caperemus? Christus se submisisit, ut pusillos exaltaret. Et nos eos quos Christus extulit, contemptu, offendiculis, malisque exemplis rursus despiceremus?

Ufus III. ad παραληπίδιον

Solidum hinc & vividam solarium habemus adversus peccati angores. Filius Dei factus est *Filius hominis*, ut culpam quæ in hominibus residebat, morte luere & piare posset, ne quæ fraus divinæ justitiae fieret. Hoc solatio Paulus erigit Colossenses: *Christus vos quum essetis quondam alienati, & hostes, mente operibus malis intenti, nunc sanè reconciliavit, in corpore illo carnis sue, per mortem: ut sit et vos sanctos, & incolpati, & irreprehensos in conspectu suo.* Col. 1. 12. 12. Itemque Romanos: *Quæ legis erat impotentia, quum viribus esset destituta in carne*

carnē, Deus suo ipius Filio missō in forma consimili carni peccato obnoxiae, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carnē: ut ius illud Legis compleatur in nobis. Rom. 8. 3. 4. Sensus est: Deus Filium suum carnē, huic nostrae peccatrii simili, induit, in quā penitus nostram vitiositatem abolevit. Verē ergo, cum eodem Apostolo, concludimus: *Nulla igitur nunc est condemnationis ius qui sunt in Christo Iesu.* Ibid. v. 1.

Hæc *Filiū hominis* appellatio firmam quoque consolationem nobis suggerit in cruce & miseriis, quam Pauli verbis exprimam: *Non utique Angelos, h. e. angelicam naturam, assumit Christus, sed semen Abrahāni, id est, veram naturam humanam, assumit.* Vnde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod pessus fuit quum tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere. Hebr. 2. vers. 16. 17. 18. Pauperum exklamque causata frigidius apud principem agunt, qui eandem ipsi fortunam nunquam experti sunt. minis enim illorum miseriā afficiuntur. Christum igitur iisdem, quibus confictamur, tentationibus exercitum oportebat, ut tantè acriorem intercessorem & patronum apud Deum haberemus. Talem se præstítit in ardentiissima illa pro Apostolis & omnibus credentibus Oratione. Ioan. 17. Item pro Petro, cui dicit: *Simon, Simon, ecce, Satanás appetiit vos quos ventilaret sicut triticum: sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.* Luc. 22. v. 31. 32. Idipsum etiamnum pro nobis & omnibus afflictis præstat. *Est enim ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis.* Rom. 8. verl. 34. Tentatur quis paupertate, persecutione, mundique contemptu? Eadem Christi, *Filiū hominis*, fors fuit. Egentior vulpibus & coeli volucribus factus est. Loquatur ipse: *Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos:* *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. v. 20. In infan-
tiā, patriā pulsus, exulavit in Ægypto cum Iosepho & ma-

tre sua. Matth. 2. v. 14. 15. Totâ suâ vitâ cum contemptu conflixit & ignominia: *Ego*, inquit, *sun vermis*, id est, non pluris apud homines si o, ac non vir, *opprobrium hominum*, & *contemptus populo*. Psal. 22. v. 7. Iudæi populares ipsius, de eo pronunciant: *Non est forma ei*, neque *decor*: & *quanda intus* mur eam, non inest species cur desideremus eum. *Contentus* & *abjectissimus virorum*, *doloribus affectus*; & *familiaris morbo*; & *velut homo abscondens faciem à nobis*; id est, quasi leprosus, ab hominum confortio separatis, & faciem obvelans: *contentus ita ut non cœsimemus illum*. Eſai. 53. v. 2. 3. Itaque probè quid nos premat, intelligit, veroq; ærumparum nostrarum ſenſu tangitur.

Uſus IV. ad iurarē p̄bōwir.

Hic retunditur fastus eorum, qui ob natalium splendorem, aliásve ingenij corporisque dotes insolenter effuderunt, vel aliis præferunt. Ipsum Christum non puduit appellationis *Filiū hominis*, quæ omib⁹ mortalibus est communis. Orcus erat stirpe antiquissimā & regiā: adeoque Davidis se filium appellare poterat: sed maluit in nomine *Filiū hominis* acquiescere: Sicutu, quo major es, eo magis te ipsum abice, & coram Domino conſequeris gratiam. Sirac. 3. vers. 19. Ab hac cauſa Paulus clamat: *Quis te ab aliis discernit?* quid autem habes quod non recuperis? quod si etiam acceperisti, quid gloriariſ quæſi non acceperis? 1. Corinth. 4. vers. 7. Næ optima hīc Paulus & efficacissima arrogantia remedia præscribit. Cogita, mi homo, quo jure te ex aliorum numero eximas, quum & ipſe homo sis. Quod si quid præter alios habeas, hoc non niſi ex Dei liberalitate te habere considera. *Quis autem sanus de alieno glorietur*, & quidem adversus Dominum? Si quis princeps egenum aliquem domo suā exceptum, & intra mediocritatem ab ſe auctum & ornatum,

tum, biennio vel triennio pōſt opulentissimum videret, maximam pecuniaē vim fœnori collocantem, numeroſo ſatellitio ſtipatum, ac ingentes ſumptus facientem, annon justā de cauſa ſuſpectum furti haberet? Ita nos, quum indigī ac nudi domum Dei ingrediamur, ſqualore, vermb⁹ & ignominia cooperti, ſi poſtea ſuperbē nos geramus, nōne tantū de gloria Dei detrahimus ac luffuramur? Qui maiores noſtri? homines in peccato concepti & nati, peregrini coram Deo. Psal. 39. 13. *pulvis & in pulverem reverſi*, Gen. 3. 19. *naturā filii ira*. Eph. 2. 3. Quod nobis ēst (Deus bone!) patrimonium, quæ bona parta, ob quæ gloriemur? hæreditas à parentibus nobis relictā eſt, peccatum, miseria, mors & maledictio. Verē & ſanctē olim cecinit Maria Christi mater: *Deus diſſipavit ſuperbos cogitatione cordis iſorum*, de- traxit potentes è thronis, & extulit humiles. Luc. 1. v. 51. 52. Et ſancte, homines natalium ſplendorem insolentius jactantes, aliosque amicos & confanguineos præ ſe contemnentes, plerumque de gradu deturbantur, ac ad tantam calamitatem & paupertatem depelluntur, ut ne minimus quidem propinquorum eamdem fortem optaret. Et quales ut plurimum ſint, qui ſupra alios ſe extollunt, arcemque, quod dicitur, ex cloaca faciunt, experientia clamat. Sunt homines nauci, parum authoritatis habentes, donorumque Dei vacui. Sicuti enim inaniffima dolia acutiflē resonant: Siquidem nihil magis virtutis penuriam & ingeniorum inanitatem indicat, quam insolens gloriatio. Modestiam ergo & humilitatem ſectemur. *Filiū hominum* nos eſſe meminerimus, neque ullum hominem præ nobis contemnamus. Paulus iſt̄ hoc humilitatis Christi, *Filiū hominis*, exemplum ad imitandum nobis proponit, obteſtantis nos ut nihil humilitate prius habeamus. Verba ipsius commemoratu ſunt dignissima: *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam, ſed ex animi ſubmiſſione alij alios ſibi præcellere existiment*. Ne ſua quisque ſpediat.

CONCIO TERTIA

*P*reciate, sed unusquisque etiam quae sunt aliorum. Itaque *is* *se* affectus in vobis qui fuit & in Christo Iesu: qui quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse se inanivit forma servi accepta, similis hominibus factus: & habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. 3—8.

II. AD QUID?

Filius hominis venit ut servet. Sacrae literæ triplicis Christi adventus meminerunt. Primus est adventus ejus in carnem, cuius prænunciatus Zacharias Propheta exclamat: *Exulta valde filia Tzijonis, clange filia Ierusalaimorum, ecce Rex tuus adveniet tibi, justus & salute prædictus est.* cap. 9. 9. Secundus est adventus gratiarum, de quo ipse: *Si quis diligere me, sermonem meum observabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Joan. 14. 23. Tertius est adventus Filii hominis ad judicium extremum. *Futurum est* (verba ipsius Christi sunt) *ut Filius hominis veniat cum gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum facta ipsius.* Matth. 16. 27. De primo Christi adventu hic sermo est. Ideo enim in carnem venit, ut homines perditos servet. Disertè Angelus Iehovæ Josepho dicit: *Vocabis nomine ejus Iesum. Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius.* Matth. 1. 21. Simeon, Christo nato, canit: *Viderunt oculi mei salutem tuam.* Luc. 2. 30. Egregiè quoque & signatè Petrus: *Non, inquit, est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub celo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.* Act. 4. v. 12. Servat autem nos Christus dupliciter; merito, & meriti applicatione. Merito, quia morte & passione suâ nobis peccatorum remissionem, Spiritum sanctum, & vitam æternam acquisivit. Inde est illud Zachariae Sacerdotis: *Servavit nos ex inimicis nostris,*

IN MATTH. XVIII. v. 11.

73

stris, & è manu omnium qui oderunt nos. Luc. 1. 71. Significanter quoque Ioannes: *Christus est propitatio pro peccatis nostris.* 1. Epist. 2. 2. Servat etiam nos Christus efficaciter meriti sui applicatione, quatenus per Spiritum sanctum in nobis efficit fidem & studium pietatis. Explicate dicam: Christus nobis meritum suum efficaciter applicat; 1. quia nobis Patrem coelestem ejusque voluntatem revelat. Ex Ioanne hoc discimus. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Joan. 1. 18. 2. Spiritu sancto nos donat, qui nos regenerat, Ioan. 3. 5. & sine quo nemo Iesum Dominum potest dicere. 1. Cor. 12. 3. 3. Fidem in nobis accedit, quâ meritum ipsius & salutem ab ipso partam nobis applicamus. *Est enim fides Dei donum.* Eph. 2. v. 8. 4. Studium pietatis in nobis excitat. *Sumus enim ipsius opus conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ praeparavit Deus ut in eis ambulemus.* Eph. 2. v. 10. 5. *Virtutis sue presidio per fidem nos custodit ad salutem.* 1. Petr. 2. v. 5. 6. Tandem ad vitam æternam nos sulcitabit. Ideo inquit: *Hæc est voluntas ejus qui misit me, id est, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Ioan. 6. 39.

Atque his verbis Christus aliam causam exponit, cur non sint contempnendi aut perdendi parvi, quia videlicet ipse eos servavit. Nemo opus suum, quod multo sudore & magno labore perfecit, perditum viult. Vinitor, audiens exscindendam sicum sterilem, patrifamilias pro ea suppli- cat: *Domine, sine eam etiam hoc anno, usquequo fodero circum eam, & misero stercus.* Et si quidem tulerit fructum, sines eam. Lyc. 13. 8. 9. Quidni Christus ægerrime ferret, eos contemni & perdi, pro quibus ipse tanta fecit, & tanta passus est? Audite conquerentem: *Servitute premis me propter peccata tua, fatigas me iniquitatibus tuis.* Esai. 43. 24. Clamores augores, questus, & gemitus Christi loquuntur, quanti

K

quanti ipsi constiterit salus nostra. In horto cum maledictionis Dei horrore terribiliter lugans, suspirat: *Vnde* i^{usque} *ad mortem.* Matth. 26. v. 38. Imo sudor ejus, in angore constituti, erat quasi grumi sanguinis descendentes in terram. Luc. 22. 44. In cruce pendens exclamat voce magna: *Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?* Matth. 27. 46. *Exsecratio pro nobis factus est, ut nos ab exsecratione Legis redimeret.* Gal. 3. 13.

Uſus I. ad uideſtā duplīcērā.

I. **N**E contemnamus eos neu objec*tis* offendiculis perdamus, quos Christus *servatum* venit: ne diruamus, quod ille ædificavit: ne interficiamus, quos ipse vitæ restituit. *Si non esse cum Christo, adversum ipsum esse: non congregare cum ipso, spargere:* & non ædificare, demoliri censeatur: Luc. 11. 23. quid de iis dicemus, qui non tantum otiosi opus intuentur, sed etiam, utrâque manu admota, Christi opus atque ædificium deſtruunt? Quotquot sincerè Christum Servatorem & ab eo servatos amant, Apostoli co illi parent monito: *Fratres, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quispam; sciat eum qui averterit peccatorem ab errore viae suæ, servaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum.* Iacob. 5. 19. 20. Hoc ipsum Petro Apostolo serio commendat & inculcat Christus: *Tu oportuando quum te converteris, stabili fratres tuos.* Luc. 22. 32. Semper aures corporis animique nostri feriant exhortationes istæ Apostolicæ: *Ne illum perditō pro quo Christus mortuus est. Ne deſtrue opus Dei.* Rom. 14. 15. 20. Quid vero audio? inquires: An illi, quos Christus servavit, & pro quibus mortuus est, perdi possunt & perire? Resp. Imo vero possunt perdi & perire, tū ratione sui, quum nihil ipsis in hac vita sit infirmius; tū ratione Satanae, cuius potentia etiam ele-

atis

Etsi & fidelibus est formidabilis. Nam ut Leo rugiens, Petro teste, *obambulat, querens quem absorbeat.* 1. Epist. 5. 8. tū ratione scandalorum, quæ piis saepe objiciuntur insuperabilia, nisi luctarentur à Deo. Certè per scandalorum autores non stat, quominus electi & credentes pereant. Et de hoc *perditionis modo* verba Pauli intelligenda sunt. Verum perdi & perire non possunt, quoad Ueconsilium, qui morte Christi sunt redempti, & per fidem ipsi, verè insiti. Sunt enim ab æterno à Deo in Christo electi. At fieri non potest ut electi seducantur. Matth. 24. 24. Adhæc Christi sunt oves. Ait autem cœlestis Pastor: *Ego vitam æternam do ovi bus meis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Ioan. 10. 28. Præterea intercessione Christi sustentantur: *Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi.* Ibid. cap. 17. 11. Asleverat ergo Augustinus: *Firmis simè tene & nullatenus dubita, omnes quos vas a misericordia grauità bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum.* De fide ad Petrum Diaconum, cap. 35. Rufus: *Electorum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Electorum si quisquam perit, virtus humano vincitur Deus: sed nemo fidelium perit, quia nullare vincitur Deus.* De corrept. & grat. cap. 7.

II. Gracias, quas possumus, maximas Deo agamus, quod Christum nos *servatum miserit.* Mirabitur olim Elisa beta, Baptista mater, quum visitatione suâ eam dignaretur Maria, & exclamabat: *Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1. 43. Miremur nos, quod Dominus ipse in assumpta humana natura ad nos venit: idque ut perditos servaret, peccatores purificaret, tristes solaretur, mortuos vivificaret. Et quidni nos miraremur? Ipse Christus miratur. Ita, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum il lum*

lum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Joán. 3. 16. Nec aliter Paulus, divinæ charitatis & coelestium beneficiorum aestimator optimus atque incorruptus: *Christus, quum nullis adhuc viribus essemus, præstituto tempore pro impiis mortuus est. Etenim vix pro justo quisquam morietur (nam pro bono viro forsitan aliquis etiam mori sustineat.) Commendat autem suam erga nos charitatem Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Rom. 5. v. 6. 7. 8. Verum enim verò mirari non sufficit, nisi gratis quoque animis ingens hoc beneficium prædicemus. Legamus ergo vestigia Zachariæ, patris Baptiste, qui sancto Spiritu repletus, in Servatore hoc exultans, honorata voce & lato corde cecinit: *Benedictus Dominus Deus Israëlis, quod inviserit & redemerit populum suum: & erexerit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui: prout loquutus est per os sanctorum qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum, fore ut nos servaret ex inimicis nostris, è manu omnium qui oderunt nos.* Luc. i. v. 68. 71. In primis verò vita ita est instituenda servatis, ne gratiâ Dei frustra se coronatos reapse declarant: *Quum Christus nos à peccatis servârît, ne regnet amplius peccatum in mortali nostro corpore, ut auscultemus ei in cupiditatibus corporis: neque sistamus membra nostra arma in iustitiae peccato: sed sistamus nos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra nostra arma iustitiae Deo. Peccatum enim nobis non dominabitur.* Hanc hortationem ex beneficio liberationis Paulus trahit. Rom. 6. v. 12. 13. 14. Eodem etiam hoc piissimum ejusdem monitum vergit: *Illuxit gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus: erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in presenti seculo: expeditantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriae magni illius Dei ac Servatoris nostri, nempe Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniuitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bono-*

rum operum. Tit. 2. 11—14. Christus nos servavit ex potestate Satanæ; ergo caveamus nobis, ne rursus ab eo illaqueémur, ab eo captivi facti, ad ipsius libitum. 2. Tim. 2. vers. 26. Clamat Petrus: *Sobrij estote, vigilate. nam adversarius ille uester Diabolus, ut Leo rugiens, obambulat, querens quem absorbeat.* Cui obsistite firmi per fidem. 1. Epist. 5. vers. 8. 9. Jacobus Petro sic clamat: *Obsistite Diabolo, & fugiet a vobis.* cap. 4. 7. Libertate sunt indigni, qui miterâ durâqué servitute ab alio crepti, ultrò sc̄ tyranno crudeli in servitutem rursus addicunt. Idem statuendum de illis, qui ex potestate Diaboli à Christo liberati, denuò ejus mancipia sunt. Hi in Christum ingrati sunt, suæque libertatis ac salutis prodigi. Christus nos restituit in statum gratiæ; in hac igitur gratia stemus immoti. Rom. 5. 2. Et pretio quum emti simus, glorificemus Deum in corpore nostro, & in spiritu nostro, quæ sunt Dei. 1. Cor. 6. vers. 20.

Usus II. ad ἑλευξιν geminam.

I. **C**Adit blasphemus error Socinianorū, qui negant Christum nos servasse, & nostro loco pro peccatis nostris satijsfecisse: sed eum sanctissimâ suâ vitâ, morte & passione viam saltem salutis aperuisse affirmant, adeoq; mortem ejus exemplar duntaxat tolerantiae & obedientiae esse, quod imitari nos deceat, ut coram Deo justificemur & æternum servemur. Imò verò servavit Christus quod perierat; neque salutis duntaxat viam vitâ & passione suâ monstravit. Sponsor noster est Christus, Hebr. 7. 22. qui rependit, quod non rupperat, nec debebat. P̄sal. 69. 5. Sponsor non tantum rationem & viam ostendit, quâlibetare se ære alieno debitor possit, sed ipse debitum, loco debitoris, solvit: & solutio à sponsorē præstata debitori imputatur, tanquam ipse satisficeret. Atque ita mysterium satisfactionis Christi pro nobis.

C O N C I O T E R T I A

Viri Dei explicant. Esaiæ ista vox est: *Ipse vulneratur propter transgressiones nostras, atteritur propter iniqüitates nostras, castigatio pacis nostra incumbit ei, & vibicibus ejus fit curatio nobis.* Propter transgressionem populi mei plaza fuit ipsi. cap. 53. vers. 5. 8. Neque aliter Paulus: *Christus est traditus morti propter offendas nostras.* Rom. 4. v. 25. Alibi animam suam in redemtionis premium pronobis dedisse dicitur. Matth. 20. 28. 1. Tim. 2. 6. In Græco sunt voces λύτρα & αντιλύτρα, quæ diapœdη repugnant errori hostium verissimæ redemtionis: qui, sicut ex Mediatore Christo, Dei interpretem; ita ex λύτρῳ, qualemcumque impedimentum faciunt, etiam quo ad liberandum nemo moveatur. Compensatio notatur, & tale pretium, in quo liberator simile quiddam subit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur. Estque harum vocum quasi περιφερίσις: *Christus εἶναι οὐαῖς redemit nos ab execracione, factus pro nobis execratio.* Gal. 3. vers. 13. Neque aliâ formâ Græci dicuntur ἀρτούρυχοι, qui pro altero morti se devovent, ut ipsum liberent. Hinc Scriptura sacra toties incusat illa: *Christus peccata nostra ipsem et sursum tulit in corpore suo super lignum.* 1. Pet. 2. 24. Christus est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2. 2. & cap. 4. 10. Deus fecit, ut qui non novit peccatum, pronobis peccatum esset, ut nos efficeremur iustitia Dei in eo. 2. Cor. 5. 2. 11. Christus tradidit semetipsum pronobis oblationem ac victimam Deo, Eph. 5. v. 2. Victimam, inquam, ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum. Hebr. 9. v. 26. Atque hæc causa est, cur meritum Christi peccatis suis opponant credentes. Paulus: *Christus Jesus venit in mundum ut peccatores servaret, quorum primus sum ego.* 1. Tim. 1. 15. Filius Dei tradidit semetipsum pro me. Gal. 2. 20. Johannes: *Sanguis Iesu Christi Filii Dei purificat nos ab omni peccato.* 1. Epist. 1. 7. Petrus: *Redemptus unus pretiosus sanguine, ut pote Agni inculpati & incontaminati, nempe Christi.* 1. Epist. 1. 19. Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro iniquis, ut nos ad Deum adduceret. Ibid, cap. 3. 18.

II. In-

I N M A T T H . X V I I I . v . 17.

II. Injurij in Christum sunt Pontificij, qui extra Christum alibi salutem suam querunt. Ipsi enim Christi solium concidunt, ac suæ justitiae suorumque operum meritis salutem, sacrilegâ arrogantiâ, adscribunt. Hoc est reapse Christum ejusque meritum negare. Paulum testem cito: *Si, inquit, per Legem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.* Gal. 2. 21. Et Apostoli uno ore, unoque corde affirmant: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servatumiri.* Act. 15. 11. Bona opera, non merita, sed debita sunt servatorum. Clarissime Christus: *Quum feceritis omnia quæ cedicta sunt vobis, dicite, Servi inutilles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17. 10. In sanctorum quoque meritis atque intercessionibus Pontificij spem ac fiduciam salutis collocant: qui tamen & ipsi per Christum servari sunt. Certè Maria Beatorum in hoc Servatore suo exultat. Luc. 1. 47. Stat illud Christi: *Torcular calcavi solus, nam ex populis nullus vir mecum fuit.* Esai. 63. 3. Ingenuæ & piæ Esaias: *Quum tu sis Pater noster (siquidem Abraham nos non cognoscit, neque Israel nos novit) tu Domine Pater noster es, redemptor noster, nomen tuum ab æterno.* Ibid. vers. 16. Magna etiam ex parte salutis proram puppimque in Papæ indulgentiis Papicolæ ponunt. Ut jure ad illos applicari possit, quod de seductoribus Petrus ait: *Per avaritiam fidis sermonibus vos negotiabuntur.* 2. Epist. 2. 3. Sanguis & meritum Christi unicus & sufficientissimus Ecclesiæ est thesaurus. Nam in Christo sunt omnes thesauri sapientiae ac notitiae absconditi. Col. 2. 3. Ne verè Paulus asserit: *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* Rom. 8. 32. Quæ quum ita sint, merito in propudio hanc Pontificiorum idolatriam, Christique Servitoris negationem, invehimur: *Obstupescite cali de hacce; & horre scite, desolemini valde, dictum Jehovah.* Nam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt scaturiginem aquarum perennium,

C O N C I O T E R T I A

ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas, que non capiunt aquas. Ierem. 2. 12. 13.

Ulus III. ad παρακλησιν.

EX hoc adventus Christi fine, qui fuit ut nos servet, multigenam haurimus consolationem. Quod si nobis insultet Satanás, ac ignitis suis nos adoriantur temptationibus; ne animo frangamur. Nihil in nos juris, potestatis nihil haberet Diabolus, quum & ille à Christo victus sit, qui nos quoque servavit, ac sibi proprios vindicavit. Nam *ad hoc manifestus factus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* I. Ioan. 3. v.8. Clarius Paulus: *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse sc. Christus quoque consimiliter particeps factus est eorumdem, ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est, Diabolum.* Hebr. 2. v 14. Christus est fortis ille Leo ex tribu Iuda, Apoc. 5. 5. qui infernalem Leonem vicit. Nec dubium, quin Deus pacis contritus sit Satandam sub pedes nostros citò. Rom. 16. 20. Si peccatorum sensu atque conscientia stimulati, cum desperatione configamus; succurrat illud Apostoli: *Certus est hic sermo; & dignus modis omnibus qui recipiatur: Christum Iesum venisse in mundum ut peccatores servaret, quorum primus sum ego. Verum ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem iram sue cohibitionem, ut effem exemplar credituris in eum ad vitam aeternam.* I. Tim. 1. vers. 15. 16. Peccatorum nostrorum magnitudini & multititudini opponamus pronunciatum ejusdem Pauli: *Vt amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia.* Rom. 5. v. 20. Si metuamus iram Dei omnia consumentem; mox recordemur sententiae illius sacrae: *Iesus nos eruit ab ira illa ventura.* I. Thess. 1. 10. Si mortis angoribus & terroribus exanimemur; in mentem nobis veniat hujus effati Christi: *Filius hominis venit ut servet quod perierat.* Absorpta est mors ad vid-

I N M A T T H. X V I I I . V . II.

victoriam. I. Cor. 15. 54. Mors credentibus est porta cœli. Suavissime Christus: *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habebit vitam aeternam;* & in condemnationem non veniet: *sed transiit à morte in vitam.* Ioan. 5. 24. Iobus, nil nisi atram mortem & sepulcri tenebras ob oculos videns, hoc solarium fidei speique certæ manu firmiter tenuit: *Equidem, ait, ego novi redemptorem meum vivere; & posteriorem super pulverem resurrecturum: & postquam vermes confederint istud, evigilante me; tum carne meâ me visurum esse Deum.* Idem qui sum, ac non alienus visurus sum mihi, & oculi mei affecturi. cap. 19. 25. 26. 27.

III. Q U O S ?

Tὸ απόλωλος. h. e. eos qui perierant. Peccata generant contemptum. Et quum pusilli atque infirmi, multis obnoxii sint vitiis atque infirmitatibus, contemtui vulgo haberi solent. Ostendit ergo Christus, non esse pusillos suorum virtutum pretio aestimandos, sed solâ suâ gratiâ. Non, inquam, amplius ut perdit, sed ut à Christo servati, sunt considerandi. Næ atrocissimum est peccatum, eos rursum velle perdere, quos Christus à perditione servavit. Diaboli hoc est proprium: Is primò perdidit hominem: & homo Diabolo auscultans, semetipsum posterosque suos perdidit, atque ex Dei gratiâ in ejus iram, ex paradiſo in infernum, ex luce in tenebras, & à vita in mortem temporalem, spiritualem, & aeternam prolapsus est. Christus pastor ille bonus fidusque est, qui perditas oves quæsivit & servavit: de quo infra latiū. Cave autem putes, Christum omnes omnino perditos servasse. Nihil minus. Multi sunt perdit, de quibus Paulus: *Iis qui pereunt, sumus odor mortis ad mortem.* 2. Cor. 2. 15. 16. Non minus memorabile, quam nōrum est pronunciatum Baptista: *Qui non assentitur Filio,*

non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. 3. v. 36. Equidem verbum manendi actum norat continuum. *Nunquam increduli Deo per Christum reconciliati fuere.* Nunquam Christus eos novit. Matth. 7. 23. Dilecte Christus: *Pro mundo non rogo.* Ioan. 17. 9. Ergone pro mundo improborum Christus se obtulisset, eumque Patri suo reconciliasset? Nequaquam. Insolubili nexu in Pontifice nostro copulata sunt redemptionis & intercessionis beneficia. Languitur processus judicialis, quem in novissimo die Christus, mundi judex, instituturus est. *Cogentur coram eo omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hædis.* Et statuet, oves quidem ad dexteram suam, bados autem ad sinistram. Matth. 25. vers. 32. 33. Et abibunt injusti ad supplicium aeternum: *justi vero ad vitam aeternam.* Ibid vers. 46. His qui obstreput, omne discrimen fidei & incredulitatis, justitiae & injustitiae, pietatis & impietatis, promissionum & comminationum Dei, præmiumque ac poenarum perfide tollunt. Solos electos, qui in se ipsis perierant, Christus servavit. Patri suo dicit: *Quos dedisti mihi sc. servandos, ego custodivi, & nemo ex iis periret.* Ioan. 17. 12. *Pro oribus suis animam suam deposituit.* Ioan. 10. 15. *Populum suum liberavit ex peccatis ipsis.* Matth. 1. v. 21. *Ecclesiam dilexit, & semetipsum pro ea exposuit.* Eph. 5. v. 25. Impetratio salutis, ejusdemque applicatio æquè latè patent. Perspicue & nervosè Paulus: *Morte mediatoris ad redemtionem transgressionum intercedente qui vocati sunt promissam aeternam hereditatem accipiunt.* Hebr. 9. 15. Ecce, individuo ne-
xu cohærent redemptio per mortem Christi & possessio pro-
missæ aeternæ hereditatis. Hoc ipsum sibi volunt ista ejus-
dem Apostoli: *Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque, & sanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1. v. 30. Ecquis solvet ac separabit ista beneficia Christi, quæ arctissimo vinculo Deus copulavit? Quos Christus per sanguinem suum

ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione redemit; eos quoque, Joanne teste, fecit reges & sacerdotes Deo ipsorum. Apoc. 5. 9. 10. Haud etiam hic prætermittendum illud Pauli: *Gratias agamus Patri, qui idoneos nos fecit ad participandum sortem sanctorum in luce: qui, inquam, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac translatis in regnum Filij sui dilecti.* In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum. Col. 1. 12. 13. 14. Quo quid clarius atque evidentius dici queat, equidem non video. Qui habent redemtionem per sanguinem Christi, & remissionem peccatorum: iidem participant sortem sanctorum in luce, eripi sunt ex potestate tenebrarum, ac translati in regnum Filij Dei.

Usus I. ad didascaliam

Omnes homines in primis parentibus perierunt, ac in peccato concipiuntur & nascuntur. Mortui sumus in lapsibus & peccatis. Natura sumus filii ire, confidente Gentium Doctare. Eph. 2. vers. 1. 3. Fontem hujus mali alibi aperit, dicens: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervagat in quo omnes peccarunt.* Rom. 5. 12. Ad eò ut ipsi etiam infantes, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adam, h.e. secundum eam formam: qua peccant adulti, dum cupiditatibus obsequantur, natura corrupti sint & perditi. Ibid. vers. 14. Davidem ingenuè id agnoscetem audite: *Ecce iniquitate genitus sum: & cum peccavisse concepit me mater mea.* Psal. 51. 7. Neque sequens Iobus: *Quis der mundum ex immundo?* Ne unus quidem. c. 14. 5. Quemadmodum fons impurus aquam impuram fundit: arbor mala malos fructus edit: veneficus serpens serpentem venenatum sibi similem, & lupus lupum rapacem, non ovem generat. Ita etiam homo pravus & peccato inquinatus, liberata peccato inimicorum procreare non potest.

test. Ipsæ hominum cogitationes, sermones, actiones, studia & conatus, firmant veritatem pronunciatorum horum Mo-
saicorum: *Omne pigmentum ac cogitationes cordis hominis, tantummodo malum est omni tempore.* Gen. 6. 5. *Pigmentum cor-
dis hominis malum est à pueritia ipsius.* Ibid. cap. 8. 21. Qui-
bus congruenter Jeremias: *Fraudulentum est cor ipsum supra
omnia, & mortiferum est, quis cognoscat ipsum?* cap. 17. 9. Quod si singulas hominis nondum regeniti, nec à perditione ser-
vati, ætates percurramus; manifesta pravitatis & perditionis non-indicia duntaxat & stillicidia, sed spumantia & limosa
flumina videbimus. Quid aliud infantia & pueritia est, quā
pattis arbor, quę nil nisi surculos stultirę, ramos petulantę,
fructusque inobedientiæ profert? *Alligata est stultitia animo
pueri,* Salomone teste. Prov. 22. 15. Nempe non tenuibus
filis appensa est stultitia, sed vinculis quasi & funibus den-
sissimis atq; arctissimis ita animis puerorū astringitur, ut dif-
ficillimè, & non nisi forti Dei manu, ac efficace Sp̄iritus san-
cti virtute, avelli possit. Quod si hisce naturalis corruptelæ
vinculis accedant educatio mala, prava parentum exempla,
& petulantium puerorum consortia; stultitia ipsorū cordi-
bus triplice hoc fune, ruptu difficultimo, firmis adhuc alli-
gatur. Pergo ad adolescentiam & juventutem, quæ instar in-
domitæ bestiæ est, cuius actiones & studia inconsiderata &
temeraria sunt, confilia salutarja fastidit, ac veluti simiæ, nu-
gis, tricis, & ineptiis deleqtatur, affectibus ferocibus abripi-
tur, prona est ad ambitionem, superbiam, & arrogantiam, fa-
dis se libidinibus dedit, ac (ut verbis utar Augustini) *præsu-
mit viribus, formæ dignitate jactatur, pompa rerum temporalium
præfulgere aut optat aut gaudet.* Itaque cum juventuti malorum
venenum est quicquid veritas præcepit, esca est quoquid Diabolus
suggerit. Serm. 246. de Tempore. Porro in virili hominis
ætate oculi sunt fenestræ, per quas se fundit vanitas, aures,
canales, per quos rivi injustitiae influunt, sensus, sulphura-
ta ad:

ta ad accendendas concupiscentias; cor, incus super quam
Satanas horribilem s̄edamque imaginem omnium turpium
affectuum cudit. Viri iracundiâ ardent, ex fraude, fallaciis
& dolis toti constant, proximum opprimunt, & crescen-
tibus annis malitiâ & perversitate crescunt. Denique sene-
ctus nutrix est avaritiae, mater morositatis vanarumque ac
superfluarum sollicitudinum, dura est & intractabilis. Ita
perieramus omnes, ut nunquam ad Deum redire potuerimus,
nisi Christo viam nobis monstrante, oculos animi illumi-
nante, voluntatem efficaciter renovante, viresque ad re-
vertendum conferente, ac (ut verbo dicam) ex morte pec-
cati nōs suscitante. Inde est illud Servatoris: *Expositus sum
eis qui non interrogabant: inventus sum ab eis qui non quærebant
me.* Elai. 65. 1. Cui merito jungo Paulinam istud: *Deus
nos, quum in offensis mortui essemus, unā vivificavit cum Christo,
cujus gratia estis servati.* Eph. 2. 5. Quando mortuus seipsum
moverit, & vivificaverit, tum in nobis quoque boni ac salu-
taires ad fidem & conversionem motus reperientur. Alibi
Paulus rotundè profitetur, *Non esse nos idoneos per nos ipsos ad
cogitandum quicquam.* Heu, quām hoc minutum & exile!
& tamen idonei non sumus ne *cogitare* quidem quicquam
quod bonum est: sed quod idonei sumus cogitare bonum,
id ex Deo est. 2. Cor. 3. 5. *Ipse, ut velimus, operatur incipiens,
qui volentibus cooperatur perficiens.* *Vt velimus, SINE NO-
BIS operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus,
nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus,
vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*
Verba sunt Augustini libr. de gratia & libero arbitrio, cap.
17. ex coelesti grammatophylacio hausta. Ita enim Sp̄iritus
sancti amanuensis, Paulus: *Deus, inquit, is est qui efficit in
vobis, & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuitas sua benevolen-
tia.* Philip. 2. 13.

Ubius II. ad *paradiseum*.

NE contemnamus neu perdamus pusillos. Ecquid enim indignius, quam miserum, ex hostilibus manibus liberatum, rursum hosti tradere? quid turpius, quam eum quem Christus ex potestate Satanæ servavit, iterum humani generis adversario prodere ac mancipare? quid fædius, quam Christi, qui Servator est, vestigia aversari & odiisse, ac Diaboli, qui *ἀπολλύω*, h. e. *perdens*, cluet, vestigiis infestare? Apoc. 9. v. 11. Evidet hoc est manifestè Christi consilio adversari. quod, utinam, apud se recogitarent parvorum contemtores, & offendiculorum authores! Ille enim, ut homines servaret, in mundum venit: Ipsi per hunc servatos perdant, quantum in ipsis est. Christus item pro hominum salute vitam & sanguinem proprium depositus: Ipsi verò ne rebus quidem superfluis, illicitis, & noxiis, moxque perituri abstinerent volunt, ut fratum salutem tueantur. Adhac Christus pro nobis, qui à Dei natura alieni, adhac inimici, & filii iræ eramus, hoc fecit: Isti eos inhumaniter negligunt, qui ejusdem naturæ consortes, & non uno nomine ipsorum fratres sunt. Præterea Christus, quum Deus sit verus & æternus, præpter miseros nos sed usque demisit, ut extremum nobis servitium præstiterit: Illi verò, quum abjectissimi sint mortales, ita cristas attollunt, ut nemini cedere, neque in alicujus gratiam aliquid facere aut ferre velint, quod non ita multo labore fieri poterat. Verum quicquid moliantur scandalorum authores, pusillorumque & infirmorum contemptores, ex voro ramen ipsis negotium hancquam succedit. Neque enim Christus pusillos, quos servavit, & à perditione liberavit, deserturus est. Clamat promissiones ipsius, ut amplissimæ, ita constantissimæ: *Hæc est voluntas ejus qui misit*

misit me, id est, Patris, ut quisquid mibi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die. Ioan. 6. 39. Ego vitâ æternam de oibüs meis, nec peribunt in æternum, nequerapies quisquam è manu mea. Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus. Ibid. cap. 10. 28. 29. 30. Tandem redibit gloriolus, ac scandalorum authores pusillorumque contemtores sempiterno contemtu & suppicio puniet. Sicut enim colliguntur rizaniæ, & igni exuruntur: Ita erit in consummatione seculi hujus. Mittet Filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsis regno omnia offendicula, h. e. homines qui vitam offendiculis plenam egerunt, & eos qui dant operam transgressioñi legis, projicientque eos in fornacem ignis: illio erit fletus, stridorque dentium. Matth. 13. vers. 40. 41. 42. Parvulos verò manu prehensoris, Patri suo cœlesti sifstet, dicturus: Ecce ego & pueri quos mihi dedisti. Hebr. 2. 13. Et ita testamento paulò ante mortem cavit: Pater, quos dedisti mihi, velim ubi sum ego, & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam quam dedisti mihi. Ioan. 17. 24. Etiam, venito, Domine Iesu. A M E N.

CONCIO QUARTA

IN

M A T T H. XVIII. verf. 12.

Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum ovies, & erraverit una ex eis: nonne relictis illis nonaginta novem, proiectus in montes, querit eam quæ erraverat?



Uum olim Zerubbabel, dux populi Dei, Templum Salomonis, à Nebucadnetzare rege Babylonie desolatum & in cineres redactum, iussu Dei, reædificaturus esset; Deus ipse, opus ex sententia successurum, & ad optatum finem perducendum, hisce verbis promisit: *Manus Zerubbabelis fundaverunt domum istam, & manus ejus perfectura sunt.* Zachar. 4. 9. Ut prædictum, ita impletum, nam Templum Hierosolymitanum à Zerubbabele absolutum est. Fuit autem Zerubbabel typus illustris Iesu Christi, Regis nostri æterni. Cœlestis enim hic architectus Ecclesiæ suæ, non tantum fundamentum ejus in *petra* solida, h. e. in seipso jecit: Matth. 16. 18: sed etiam manu suâ spiritualem hanc structuram perfecit. Neque enim sufficeret, fideles semel per fidem Christo superstructos esse, nisi Deus suppositâ quasi manu, eos in fide custodiret, & contra quasvis tentationum procellas, peccati illecebras, mundi scandala & seductiones, & calamitatum fluctus, firmaret & immotos statue-

IN M A T T H. XVIII. v. 12.

39

statueret. De quo ne quis ambigere possit, testimonio Apostolorum Christi, Pauli, ac Petri, confirmabo. Pauli est illud: *Persuasum habeo hoc ipsum, fore ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.* Philip. 1. v. 6. Neque aliter Petrus: *Virtutis Dei præsidio custodimini per fidem ad salutem.* 1. Epist. 1. 5. Id ipsum Christus calculo suo approbat. Dixerat non esse contemnendos, neu offendiculis objectis perdendos parvos, quos ipse servatum venisset. Ac ne quis regereret, parvos saepe à vero salutis, veritatis & pietatis tramite, in errorum peccatorumque avia deflere, atque adeò salute per Christum partâ excidere; Servator similitudine hominis quærentis ac invenientis ovem perditam declarat, se suumque cœlestem Patrem, curam pro pusillis semel à se servatis, & ab aliis seductis, gerere, errantes quærrere, amissos invenire, hæsitanter & vacillantes in fide, veritate, & pietate confirmare, à reliquo fidelium grege avullos, ad eum reducere, ac de eorum reductione & conversione ex animo lætari. In speciem & superficietenus humilia ista apparent & gregaria, neque sagaciore indagine digna. Quemadmodum enim is qui urbem egregiam & amplam eminus è montis vertice aspicit, non putat, tot tamque splendidis ædificiis, latis plateis, & honoratis civibus eam ornatam atque refertam esse: ubi verò eam ingressus, singula oculis perlustraverit, in admirationem rapitur, quum eam situ, descriptione ædificiorum, florentibus civibus, ac omnigenâ pulchritudine nobilem esse videt. Ita si quis verba Christi quæ prælegimus, obiter & quasi in transcursu perpendat, judicabit ea, quippe institutione & consolatione vacua, attentam considerationem non mereri: maleoque nos tempus collocare, quod eorum explicationi immoremur. Agi enim in eis de ovium pastore, de quo hominum genere sacræ Paginæ: *Abominationi erat Ægypto omnis pastor gregis.* Gen. 46. v. 34. item

M.

que

CONCIO QUARTA.

que de ovibus, de quibus differere opilionem potius & agriculam deceat, quam Ecclesiae ministrum & pastorem animarum. Sed heus, mi homo, urbem ipsam ingrediamur, omnibusq; (fas sit ita loqui) horum verborum vias & angulos accurate perlustrémus; & compariemus, verba isthæc, attentius paulo considerata, fructuū salutaris doctrine, dulcissime consolationis, & necessariæ institutionis esse feracissima. Quinim verba hæc, utut ambitu contracta & brevia, epitome sunt doctrinæ coelestis, totiusque salutis summa, quæ in cognitione tūm nostræ infirmitatis, tūm Christi pastorum principis personæ, officii, & solicitudinis pro nobis constitit. Quandoquidem ergo Christum non puduit, parabolam hanc perspicue & integrè proponere, ac proposito suo suaviter & pulchrè accommodare, tædiosum & onerosum nobis esse non debet, explicatione ejus diutius inhærere, singulaque ejus membra ad nostram institutionem, correctionem, doctrinam, & consolationem applicare. Partes verborum Christi duæ sunt :

I. Similitudo ipsa, vers. 12. & 13.

II. Ejusdem applicatio ad curam Dei Patris pro parvis, vers. 14.

Impræsentiarum ipsius Similitudinis explicationem auspiciabimur: cujus quatuor sunt membra :

Ovis I. Acquisita:

II. Amissa & errans:

III. Quæsita:

IV. Inventa à Pastore & Patrifamilias coelesti.

Tria priora membra hâc Concione interpretatione nostra illustrabimus.

Tu, Christe Iesu, summe animarum Pastor, aures nobis & corda adaperito, ut suavissimam tuam vocem in Verbo divi-

divino sonantem, libenter audiamus, dexterè intelligamus, s. p. sequamur. AMEN.

I. OVIS ACQUISITA.

ORationem Christus ita exorditur : *Quid vobis videtur?* Hæc præmittit, ut ad attentionem discipulos exciter. Est enim attentio instar cotis, quæ zelum docentis & diligentiam audientis acuit. Qui testis in rem aliquam citatur, aures arrigit : quanto magis, qui judex de re gravissima constituitur? Tantundem autem dicit Servator : Vos ipsos judicēs appello: ingenuè sententiam dicite de re quam propositurus sum : nullus dubito, quin idem mecum pronunciaturi sitis atque sensuri. Annon in re familiarī usū veire solet, ut si quis rem perditam, putā ovem, rursus inveniat, magis gaudeat, quam super reliquis omnibus, quæ non amiserat? Neque enim res domestica in eo consistit tota, ut quæ hanc augent & ornant acquirantur: sed non minusopus est, ut quæ nobis parta sunt & acquisita, tueamur, aut amissa recuperemus. Etsi major ille ovium & rerum non amissarum numerus patrifamilias gratus quoque & acceptus est, dolor tamen & anxietas, quæ ex amissione oborta fuerat, gaudium ex recuperatione acceptum augere potest. *Ita*, inquit Christus, *non vult Pater uester qui in cœlis est, ut pereat ullus ex parvis istis.* ver. 4. q. d. Non vult Pater meus, ut unus ex electis, qui oves ejus sunt, quantumvis pusillus & abjectus videatur, pereat: sed potius seductum ab aliis singulari curâ querit, & reliquis electis rursus adjungit, quumque repertus, & ab interitu revocatus fuerit, tum eximio gaudio Pater coelestis afficitur. Atque ad eō probare eos nequit, qui superbo contemtu parvos & infimos ita negligunt, ut eis scandalorum aut lapsus authores sint.

Uſus ad παιδείαν

EA Ecclesiae ministros in afferenda doctrinæ veritate, & refutandis erroribus, perstringendisque peccatis, decet integritas, ut judicium ipsis auditoribus deferre non refugiant. Istius sinceritatis & integratatis faciem Christus, hoc loco, fidis probisque pastoribus præfert. Sic reprehensis Judæis, faciem coeli terræque explorare guaris, præstatum autem gratiæ tempus non explorantibus, subjicit: *Hypocrite, faciem terre & cœli nostis explorare: hoc autem præstatum tempus qui sit ut non exploretis?* Cur autem & vos per vos ipsis non discernitis quod justum est? *Luc. 12. 56. 57.* Ipse Deus Pater, enumeratâ beneficiorum, quibus populum Judaicum ornârat, magnitudine & multitudine, ad judicium ingratorum, quos perstringit, provocat: *Nunc autem habitatores Ierusalaimorum, imò viri Iebudæ singuli, judicate quae sicut me & vineam meam. Quid faciendum amplius vinea mea, quod non fecerim in ea?* Quamobrem quim expectassem ut ederet uvas, edidit labruscas? q.d. Vestram appello conscientiam, vos ipsis cognoscite, & bonâ fide statuite, per utrum steterit, quominus fructum conditione suâ dignum vinea mea protulerit: si vel tantillum merito à me desiderabitur, ego præstabô: sed quū partibus meis planè defunctus sim, quid supereret, nisi ut vinea in culpa esse dicatur? *Ez. 5. 3. 4.* Illustrè quoq; ingenuitatis sua specimèn Paulus edidit apud Corinthios, qui Coenæ sacræ doctrinam corruperant, & invitati ad convivia idololatrarum & mensam dæmoniorum comparebant: *Vt intelligentibus, ait, loquor: judicate vos quod ajo. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quoniam unus est panis, unum corpus nos illi multi sumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.* *1. Cor. 10. 15. 16. 17.* Idem Apo-

Apostolus, jubens viros retectis, mulieres velatis capiti-bus orare, ad sensum communem in forumq; Corinthiorum judicium provocat: *Apud vos ipsis judicate, num decorum est mulierem non opertam Deum orare? An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit: contrà mulieri, comatum esse decori sit?* Nam coma pro velamine data est ei. *Ibid. cap. 11. 13. 14. 15.* Istorum vestigia premant pastores, ac veritatem tam exploratè cognitam habeant, tantaque προφῆτα proferant, ut nec auditorum judicia extimescant atque refugiant. Scelera græstantia veritatis penicillo ita suis coloribus pingant, ut pronunciare ausint, non dubitare se, quin ipsis peccatores sententiam contra se sine laturi. Sic Nathan Propheta, propositâ Davidi parabolâ, quid juris esset expilcatus, eum ad adulterii & homicidii conscientiam revocavit, atque haric ei vocem, veræ resipicentiae indicem, expressit: *Peccavi Iehovæ.* *2. Sam. 12. 1. & seqq.*

Jam pergo ad parabolam ipsam: in qua primò occurrit *O v i s A c q u i s i t i o n e;* de qua Christus summus ovium Pastor: *Si fuerint alicui homini centum oves.* Ubi in antecessum notandum, nullâ commodiore & faciliore ratione pios & simplices in veritatis cognitionem duci, quam per aptas & concinnas similitudines. Ita enim à terrenis ad coelestia, à visibilibus ad invisibilia, à corporalibus ad spiritualia, mutu quasi ducuntur. Atque hac de causa, istâ docendi ratione summus noster Propheta, Christus ipse usus est. Expressè Euangelista: *Hæc omnia loquutus est Iesus per parabolas ad turbam: & absque parabola nihil loquutus est eis.* Ut completeretur quod dictum fuit per Prophetam, dicentem: *Aperiā per parabolas os meum: eructabo occultata à jacto mundi fundamento.* *Matth. 13. 34. 35.* Ac quum in vera Christi cognitione vita æterna consistat, *Joan. 17. 3.* ideo Christus ipse passim in sacris Literis nobis cognoscendus, considerandus & in-

tuendus sibi appositis similitudinibus proponitur, quae ipsius officium & proprietates adumbrant. ^{Comparatur enim} transuetudinem summam, & tolerantiam maximam ovi, Esa. 53. 7. & agno. Joan. 1. 29. ob ardentissimum desiderium salutis hominum, & solicitam pro eis curam, gallinae congreganti pullos suos sub alas. Matth. 23. 37. ob infinitam potentiam, & fidem suorum defensionem, aquile. Deut. 32. 11. ob agilitatem & incredibilem promptitudinem afflictis & oppressis opitulandi, caprea, & binnulo cervorum. Cantic. 2. 9. ob robur & animositatem in quovis conflictu cum hostibus nostris, leoni; Apoc. 5. 5. Hoc loco confertur, ob solicitudinem piam & indefessum studium, quo suorum, etiam pupillorum ac infirmorum salutem promovet, eosque ab exercitu liberat, fido ac bono pastori. Nam nos, qui oves erraticæ & Deo exosæ naturâ sumus, pretioso suo sanguine redemit, in fide vitâque titubantes atque errantes querit & confirmat, ac in humeros suos sublatos ad gregem reducit. Sed Pastorem ipsum audiamus, de *Ove acquisita* differenter: Si, inquit, fuerint alii cui homini centum oves. Hic tres considerandæ veniunt circumstantiae: I. Q U I S. II. Q U A S. III. Q U O T oves habeat.

I. Q U I S? *Ἄρτηπος τις*, *Homo aliquis*. Hic paterfamilias & pastor, Christus ipse est. *Ego*, inquit, sum *pastor ille bonus*, Ioan. 10. 11. Paulus eum *magnum illum ovium pastorem* appellat. Hebr. 13. 20. Petrus *pastorum principem ipsum* salutat. 1. Epist. 5. 4. Pastorem hunc Deus in Veteri Testamento promiserat per Esaiam Prophetam: *Velut pastor gregem suum pascet, in brachium suum congregabit agnellos, & in sinu suo portabit; factas ducet commodè.* cap. 40. 11. Item per Ezechielem: *Excitabo eis pastorem unum qui pascat eas: servum meum Davidem*; id est, Christum, Davidis semen, ipse pascet eas, & ipse erit eis pastor. cap. 34. 23. Præfiguratus etiam fuit hic pastor in majoribus suis, qui in ejus genealogia

gia recensentur. Matth. 1. Rei pastoritiae dediti fuerunt, Abrahamus, Gen. 13. 2. Isaacus, Ibid. cap. 26. 14. Iacobus; cuius filii Pharaoni interroganti, quæ essent opera ipsorum, responderunt: *Pastor gregis est quisque servorum tuorum, tūn nos, tum maiores nostri.* Gen. 47. 3. Fuit etiam inter Christi maiores David Rex, de quo Psaltes: *Deus elegit Davidem servum suum, & accepit eum à caulis ovium.* A tergo fætarum adduxit eum, ad pascendum Iacobum populum suum; & Israelem, hereditatem suam. Qui pavit eos pro integritate cordis sui: & summa prudentia manuum suarum duxit eos. Psal. 78. v. 70. 71. 72. Verè ut pronunciare possimus, Christum pastorem natura esse, à quatuor atavis suis.

Hominem autem se vocat Christus, quia verus quum Deus esset, homo factus est, & naturam humanam in unitatem personæ suæ assumit: 1. Ut ab ovibus suis melius cognoscetur, & ardentius diligenterur. Deus enim lucem habitat inaccessam. 1. Tim. 6. 16. *Ignis consumens est.* Deut. 4. v. 24. coram cuius indignatione nemo consistere potest. Nahum. 1. 6. Pastores terreni, ut ab ovibus citius faciliusque agnoscantur, & magis amentur, velleribus induuntur, posito elegantiore vestitu. Christus, Pastor coelestis, quum esset in forma Dei, ipse nostrâ causâ se se inanimavit, formâ servi acceptâ: & habitu inventus est ut homo. Philip. 2. 6. 7. 8. Paucis, sed evidenteribus verbis id explicat Joannes: *Sermo ille factus est Caro, & commoratus est inter nos.* Ioan. 1. v. 14. 2. Christus factus est homo, ut oves suas redimere posset, & sanare. Divulsa illæ erant à Deo, & ab illo aberrârant, palantes per septicera & vepreta ignorantiae & peccatorum. Rotundè Esaias: *Omnies nos, ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus.* cap. 53. 6. In fauces & laqueos infernalis lupi, Diaboli, inciderant miseræ oves, ab eo captivæ factæ, ad ipsius libitum. 2. Timoth. 2. 26. Erant morbo affectæ, ægrotæ, confractæ, depulsa, dispersæ, (uno verbo) perierant. Ezech. 34. 4. At vero

verò servari ac liberari non poterant, nisi ab eo, qui ejusdem cum ipsis naturæ esset. Stat enim illud: *Anima que peccat, ipsa morietur.* Ezech. 18. 4. Factus ergo homo est Filius Dei, ut gregem & Ecclesiam Dei suo proprio sanguine acquireret. Act. 20. 28. & ut tumice ejus fieret curatio nobis. Esai. 5. 53. Memorabilia prorsus sunt verba Petri: *Scitis vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro, fuisse redemptos: sed pretiosos sanguine, utpote agni inculpati & incontaminati, nempe Christi.* Epist. 1. verl. 18. 19. Dilucidè hoc ipsum expressit Paulus: *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est, Diabolum.* Hebr. 2. 14. Vix crediderim, pastorem ovem humeris ulnisve portantem, si à lupis undique cinctus sit, periculo se pro ove objecturum: quin potius onus illud abjecturus est, & ad prædam lupis propositurus, ut ipse discriminem evadat. Alter Christus, qui ovibus suis gravatus, ac inferni doloribus circumdatus, vitam profundere maluit, quam oves lupo, h. e. Diabolo, dilaniandas tradere. Adeoque non est mercenarius, qui non Dei, sed suam ipsius gloriam, non ovium, sed suum ipsius pabulum & saginam querit. Atque hoc propriè facit illud Pastoris nostri: *Bonus pastor animam suam deponit pro ovibus.* Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, spectans lupum venientem, relinquit oves & fugit: lupus autem eas rapit & dispergit ovile. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, non est illi cura ovium. Ioan. 10. 11. 12. 13. Adeoque in Christo impletum fuit, quod olim in Davide opilio præfiguratum fuit. Dixit hic Sauli regi: *Pascente servo tuo patri suo gregem, quum accedens leo aut ursus, auferret parvam pecudem è grege, egressus persequeretur illum, ut percuterem eum; aut eriperem ex ore ejus; insurgentem verò in me prehendebam eum barbam, & percutiens morte afficiebam eum. Tum leonem, tum ursum percussit servus tuus.* 1. Sam. 17.

v. 34. 35. 36. 3. *Homo Christus factus est, ut misericordiarum nostrarum sensu possit affici.* Nullas oves sentiunt ærumnas, nulla mala, solo peccato excepto, quin iisdem Pastor ipse obnoxius fuerit: adeoque optimè novit, quo animo simus adversis pressi, & ad opem ferendam accurrit. Huic fundamento illa Pauli innituntur: *Debuit Christus per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis pontifex in iis que apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi.* Nam ex eo quod perpessus fuit quem tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere. Hebr. 2. 17. 18. A quibus non sunt leparanda illa ejusdem: *Non habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiiter, absque tamen peccato.* Accedamus igitur cum loquendi libertate ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Ibid. cap. 4. 15. 16. *Non ignorare malum misericordie succurrere disco:* inquit Dido apud Virgilium. Atqui Christus totâ suâ vitâ, paupertate, ignorâniâ, temptationibus & calamitatibus conflictatus est: ut probè quid nos premat, intelligat. Euangelistæ sanè passim nobis Christum depingunt Χριστόν. Intima commissio, docuit turbam & oves non habentes pastorem: Marc. 6. 34. sanavit ægrotos: Matth. 14. v. 14. elurientes pavit: Marc. 8. 1. 2. 3. flevit cum flentibus. Joan. 11. 33. 35. Ac ne olim tantum putemus ita affectum fuisse; nunc vero gloriâ suâ elatum, minus nos curare: etiam post ascensionem, cum oppressa gemeret Ecclesia, oppressorem coeli rùs inclamabat: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Act. 9. 4. satis ostendens, etiam in coelesti gloria se eundem erganos animum retinere, omnesque nostras miseras suas ducere. Verè ergo pastor noster, homo est.

Sed quo jure ad ipsum pertinent oves? Sunt oves ejus, non tantum jure creationis, quod eas una cum Patre suo a Spiritu sancto creavit, juxta illud Ioannis: *Omnia per eum facta*

facta sunt, & absque ea factum est nihil quod factum sit. cap. i. 3. Quod ipsum Paulus quoque confirmat, dicens: *Per eum condita sunt omnia que in celis sunt, & quae in terra, visibilia & invisibilia. Omnia per eum consistunt.* Col. i. v. 16. 17. Hoc oves cum hædis & lupis ipsis commune habent: quorum Creator & Conservator Deus Trinus est. Sunt oves Christi propriæ jure singulari, eoque quadruplici, electionis, redemtionis, passionis, & conservationis. 1. Jure electionis gratuitæ; quod ab æterno à Deo electæ, ipsi servandæ datæ sint. Ipse dicit Patri suo cœlesti: *Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mibi selectos è mundo: tui erant, & mihi eos dedisti.* Ioan. i. 7. 6. Dicens, *tui erant, æternam illam electionem declarat in ipso Dei beneplacito absconditam, quæ totius nostræ salutis est basis.* Addens, *Mihi eos dedisti, indicat æterni illius & absconditi propositi declarationem in Christo factam, per quem demum fide apprehensum justificati sumus, & sanctificati, ut electionis gratiam tandem consequamur.* Paulus nos à Deo in Christo electos asserit, putâ tanquam Capite nostro, ut per eum servaremur. Eph. i. 4. 2. Jure redemtionis; *Ego, inquit, animam meam depono pro ovibus.* Ioan. i. 0. 15. *Emti estis pretio,* ait Paulus i. Cor. 6. v. 20. id est, Petro interprete, *redemi pretioso sanguine. Agni inculpati & incontaminati, nomine Christi.* i. Epist. i. 18. 19. Lupus infernalis, Diabolus, corporibus & animabus nostris insidiabatur, nosq; totos à Deo jam avulserat, ita ut omnes in immani ipsius rictu harentes, jamjam in æternū exitium deglutiendi essemus. Ibi tūm superveniens Christus cœlestis Servator & Pastor, lupo se opposuit, & in mortem, in d. & in infernum usq; se demersit, & quemadmodum eripit pastor ex ore leonis ambo crura aut particula auritam, sic Christus nos eripuit. Am. 3. 12. 3. Jure passionis; quia dicit & antegreditur oves suas egredientes atque ingrediéntes potum pastumque, Ioan. i. 0. 4. Hinc læte suavit-

que canit David: *Iehova pastor meus est; non possum egere. In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me: animam meam quietam efficit, ducit me per orbitas justitiae; propter nomen suum.* Etiā quām ambularem per vallem letalis umbrae, non timerem malum, quia tu mecum es: *virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me.* Psal. 23. 1.—4. Rursus: *Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum efficeremus (non autem nos ipsos) populum suum & gregem pastus sui.* Psal. 100. 3. Quid? quod clementissimus noster Pastor oviculas suas carne & sanguine suo nutrit & reficit, ne spirituali animæ fame atque siti pereant: quum alij pastores ovem potius mactaturi sint & carnem ejus comedunt, quām fame confecti pereant. Ipsū audiamus: *Ego, inquit, sum panis ille vivus qui è cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo ipsum ultimo ille die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioan. 6. v. 51. 54. 55. 56. 4. Denique oves Christi sunt jure conservationis. *Ego, ait, vitam æternam, do ovibus meis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea.* Ioan. i. 0. 28. Multos ac infensissimos hostes oves Christi habent. *Diabolus, adversarius ille noster, ut Leo rugiens, obambulat, querens quem absorbeat.* i. Petr. 5. 8. Satanás ipsos Christi *Apostolos appetit quos ventilaret sicut triticum.* Luc. 22. v. 31. Mundus Christi oves odit, persequitur, occidit. *Cantant flebile illud Dei filij: Tui causa occidimur tutum diem: reputati sumus velut oves destinatae maculationi.* Rom. 8. vers. 36. Impij pravis exemplis, & offendiculis objectis, oves in avia abducere satagent. Sed præstd est Pastor Christus: *Is oviculas tentatas consolatur, seductas quærat, errantes reducit, persecutionem patientes liberat, lapsas erigit, morbo affectas*

C O N C I O Q U A R T A

confirmat, ægrotas curat, confractas obligat, mortuas vivificat.

Uſus I. ad παρακληſιν.

IN eo gloriemur, exultemus, nobisque gratulemur, quod Christi propriæ simus oves. Nulla enim res condita nos, verâ fide ipsi insitos, à charitate Dei quæ in ipso est separare potest. Rom. 8. 38. Fidus bonusque pastor non deserit oves suas. Ergo nec Christus suas. Non relinquam vos orbos; ait Ioan. 14. 18. Nos ipsius animâ pariter & corpore proprii sumus, sive vivamus, sive moriamur. Tribus verbis Paulus: *Vos*, inquit, *Christi estis*. 1. Cor. 3. 23. Quod quid sit, alibi dilucidius idem Apostolus exponit: *Nullus nostrum sibi ipse vivit, & nullus sibi ipse moritur. Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur*. Rom. 14. 7. 8. 9. Immutabilis est Deus, ut essentiâ, sic etiam voluntate & dilectione erga electos suos. *Dilectione perpetua diligite me, idcirco extendite erga me benignitatem*, dictum Iehovæ. Ierem. 31. 3. Et de Christi constante amore Ioannes: *Quum dilexisset suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos*. cap. 13. 1. Nunquam ita potens futurus est Satanus ad nos perdendum; quam Dei est electio & Christi dilectio ad servandum. *Fieri non potest ut seducantur electi*. Matth. 24. 24. Isthâc consolatione Deus ipse nos armat antimque Eſai. 42. 26. 27. 28. *Nunc vero sic ait Iehova creator tuus, ô Iacob, & formator tuus, ô Israel: ne timeta; nam vindicavi te, & vocavi te nomine tuo; meus es. Quum transis per aquas, tibi adsum, & per flumina, ne inundent te; quum ambulas per ignem, non ureris, & flamma non incendit te. Nam ego Iehova Deus tuus, sanctus Israëlis, servator tuus sum*.

Uſus.

E N M A T T H. XVIII. v. 12.

Uſus II. ad παιδείᾳ.

Christi ovinæ quum simus, pie & sanctè vitam, ad Pastoris gloriam, instituamus. Hic finis est æternæ nostrum electionis. Perspicue Paulus: *Deus elegit nos in Christo ante iactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate*. Eph. 1. 4. Eodem fine creati sumus ac recreati. Clarissime Deus: *Filios meos & filias meas ad gloriam meam creavi, formavi, feci*. Elai. 42. 31. 32. Quibus congruenter Paulus: *Dei sumus opus conditi in Christo Iesu ad opera bona, que preparavit Deus ut in eis ambulemus*. Eph. 2. 10. Ad hunc ipsum scopum Christus collimavit in nostri redemtione, ut sc. sine metu, & manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipse cum sanctitate & justitia in ipsis conspectu, cunctis vita nostræ diebus. Luc. 1. 74. 75. Pilchrè Paulus: *Vos non estis vestri juris. Nam emi estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, que sunt Dei*. 1. Cor. 6. 20. Cui & illud ejusdem addo: *Christus dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum*. Tit. 2. 14. Hujus rei etiâ commonemur appellatione & proprietatis oviū, quibus nos Christus assimilat. Audite enim

II. Q u a s habeat? Oves. Oribus saepè comparantur homines nondum regenerati, quod oves stultiâ, errandi proclivitate, & miseriâ referant. de quâ materiâ dicendi amplissimum campum habituri sumus, ubi ad ovem perditam pervenerimus. Verum hoc loco per oves Christus intelligit electos, redemptos è fauibus infernalis Lupi, & per Spiritum sanctum regenitos, quæ similitudo frequentissima est in sacra Scriptura, & à Christo ipso illustratur, & ad electos applicatur. Ioan. 10. **Oribus**, inquam, filii Dei comparantur, non canibus protervis, obſcenis, invidis, contentioſis: &

& irritabilibus: non felibus, ex infidiis mordentibus & nocentibus: non porcis lutulentis & grunniensibus: non pavonibus superbis & caudam rotantibus: non lupis rapacibus & voracibus: non vulpibus astutis & versipellibus: non ursis trucibus, & prædæs asperges: non asinis pigris: nec tauris torvis, minacibus, & furibundis. Rationes hujus similitudinis variae dari possunt respectu, tum Pastoris, tum totius gregis, seu proximi, tum ovium ipsarum.

Respectu *Pastoris*, appositè Christi affectæ ovibus comparentur. 1. Oves pastorem suum ejusque vocem optimè nōrunt. Si vel mille homines uno in loco consisterent, oves tamen ex omnibus vocantem pastorem nōfent. Et oves Christi, pastorem hunc suum, quoad personam atque officium, cognoscere rectè debent. Ipse ait: *Ego agnoscor ab ovibus meis.* Ioan. 10. 14. Stummè hoc est necessarium. Praeclarè coelestis Pater: *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* Elai. 53. 11. His paria Pastor noster: *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Joan. 17. vi. 3. Gnarum hoc Apostolo Paulo: itaque ingenuè ait: *Non statui quicquam scire inter eos, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum.* Et sane,

Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis.

Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

Felices Apostoli, quorum nomine Petrus Christo dicit: *Nos eredidimus, & cognovimus te esse Christum illum Filium Dei viventis.* Ioan. 6. 69. 2. Oves vocem pastoris audiunt, maximè quando ad pascua & fontes ab eo ducuntur. Sic Christus de ovibus suis: *Oves illæ meæ vocem meam audiunt.* Ioan. 10. v. 27. Et sane qui ex Deo est, verba Dei audit, eodem Christo teste. Ioan. 8. 47. Nec frustra. Nam beati sunt qui audiunt sermonem Dei, & eum observant. Luc. 11. 28. A quo non abit alterum illud Christi promissum: *Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum venies.*

niemus, & apud eum habitabimus. Ioan. 14. 23. 3. Oves pastorem suum sequuntur. Est & hæc vera ovium Christi nota, quod eum sequuntur. Ibid. cap. 10. 27. Huc vergit & istud Servatoris: *Ego sum lux illæ mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vite.* Ibid. cap. 8. 12. Sequuntur oves pastorem in humilitate & obedientia, ex monito Paulino: *Is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obedientis usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. 5. 8. Sequuntur eum in tolerantia. Inde est istud Petri: *Si bene agentes, & tamen afflitti, subsistatis, hoc cedit vobis gratia apud Deum.* Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius. Qui conviciis affectus, non vicissim conviciabatur: quum malis officeretur, non minabatur: sed committebat causam suam ei qui justè judicat. 1. Epist. 2. 20. 21. 23. Sequuntur eum in promptitudine aliis inserviendi. Ita enim monet Paulus: *Vinusquisque nostrum proximo placeat in bonum, id est, ad ejus ædificationem.* Etenim Christus non placuit sibi ipsi. Rom. 15. v. 2. 3. Sequuntur in charitate. Significanter Servator: *Ex hoc omnes cognoscant vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios.* Ioan. 13. 3. Nec aliter Paulus: *Ambulate in charitate, sicut & Christus dilexit nos.* Eph. 5. v. 2. Sequuntur pastorem suum in afflictionibus & persecutionibus, juxta illud: *Si quis vult ponere me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me.* Mat. 16. 24. Deniq; in morte eum sequuntur evicule: & sicut ipse in manus Patris sui spiritum suum depositus: Luc. 23. 46. Ita illæ animam agentes cum Stephano dicunt: *Domine Iesu, recipe spiritum meum.* Act. 7. 59. 4. Oves concusa admodum sunt animalia. Hinc natum votum illud: *Oves nostræ millenis pariant, imò myriadibus, in choribus nostris.* Pf. 144. 13. Pii divites sunt operibus bonis. 1. Tim. 6. 18. *Omnis operis boni fructum proferunt, & crescent in agnitione Dei.* Col. 1. 10. Huc

Huc tendunt effata Christi: *In hacre glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis: & eritis mei discipuli.* Item: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat.* Ioan. 15. verl. 8. 16. A quibus haud separo hortationem istam ejusdem: *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificantque Patrem illum vestrum qui est in celis.* Matth. 5. verl. 16.

Respectu totius gregis, seu proximi, p̄ij concinnè ovibus assimilantur. 1. Oves placidæ sunt atque pacificæ: non mordent dentibus, ut canes: non lacerant unguibus, ut feles: non feriunt calcibus, ut equi: non petunt cornibus, ut tauri: non lædunt proboscide, ut elephanti: nec pungunt caudā, ut scorpiones. Ac licet aliquando oves capitibus concurrant, mox tamen reconciliatæ in iisdem paſcuntur. Eodem ingenio p̄ij sunt. Semper ipsis obversatur exhortatio Apostolica: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace vivite.* Rom. 12. v. 18. Recognitant secum dulcisonum illud pronunciatum Davidicūm: *Ecce quā bonum & quām amānum est, habitare fratres etiam unā.* Psal. 133. verl. 1. Omnibus prodesse cupiunt filij Dei; nocere nemini: memores mandati divini: *Ne quis opprimat, & habeat questui in negotio fratrem suum. nam vindex est Dominus omnium istorum.* 1. Thess. 4. 6. At ut aliquando exacerbentur, irritentur, ac cum aliis in contentionem veniant, at irā non sunt servantes, nec hostili odio & crudelitate sunt in adversarios: sed Apostolico parent hortatui: *Irascamini, & ne peccate: Sol ne occidat super exacerbatione vestra.* Neque date locum Diabolo. Eph. 4. v. 26. 27. 2. Oves utilitati & commodis dominorum ac pastorum suorum variis modis servunt: imò ne minimum quidem in ovibus est, quod sine usu sit; carnis ovium paſcuntur esurientes: lacte sitim restinguunt sitentes: sano stercorantur agri ad promovendā eorum

rum fertilitatem: ex intestinis fides conficiuntur, quibus moesti recreantur: lanā & pellibus vestiuntur nudī: atque sic rectè regulam Baptiste servant: *Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Luc. 3. 11. Ita mutua charitatis officia sibi præstant ovinæ Christi: nulli incommodant, omnibus prodesse desiderant. Atque hoc nomine eas in novissimo die laudaturus est Pastor cœlestis, & ad dexteram statuturus, ac dicturus: *Esurivi, & dedistis mihi quo vesceret: siti vi, & dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me: nudus, & amicivisti me: agrotavi, & invisiſtis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Amen dico vobis, quatenus id fecistis uni ex ipsis fratribus meis minimis, mihi fecistis. Matt. 25. 35. 36. 40. Seriò pios hortatur Apostolus: *Beneficentiae & communicationis ne obliviſcimini: talibus enim victimis delectatur Deus.* Heb. 13. 16. Fructum uberiorim beneficien̄tię passim prædicant Dei viri in sacris paginis. David canit: *Beatus est qui prudenter se gerit erga attenuatum: nā tempore malī liberabit eum Iehova.* Iehova custodiet eum, & in vita conservabit eum: *beatus reddetur in terra: nec tradet eum desiderio inimicorum ejus.* Iehova sustentabit eum decumbentem super sponsa languoris: totum cubatum ejus in morbo ejus mataturus es. Psal. 41. 2. 3. 4. Item: *Bonus vir gratiōē largitur, & mutuū dat: moderatur res suas ex officio.* Certe in seculum non dimovet: *in memoria perpetua erit justus.* A rumore malo non timebit: *stabile est cor ejus, confitum est in Iehova.* Fultum est cor ejus, ideo non timet: *ed exspectat, donec videat malum in hosti- bus suis.* Dispergit, dat eagentibus: *justitia ejus perstat in æternum: cornu ejus elevatur honore.* Psal. 112. 5—9. Huc & illa Pauli spectant: *Qui serit benignè, benignè etiam metet.* Quisque sicut præoptat corde, ita agat: non ex tristitia aut ex necessitate. nam bilarem datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. 6. 7. Ejusmodi fructuosa ovinæ Jobus fuit: *Si, inquit, cohibus me à desiderio tenuimus, aut oculos viduae consumi sive: aut si co-*

medi fructum meum solus, ac non comedit pupillus ex eo : faciat mihi Deus hoc & illud. Quoniam à pueritia mea adolevit apud me tanquam patrem: & à ventre matris meæ ductavi illam. Si aperiret pereuentem, quod non esset ei uestimentum ; & non dedi tegumentum egeni: Si non benedixerunt milii lumbi ejus, & de vellere agnorum mecum non incaluit. cap. 31. 16—20.

3. Ovis est animal sociale, libenter se ad gregem aggregat, à quo si aberraret continuo balat, donec ad eum redierit. Pii summo desiderio & gaudio ad templum & publicos Ecclesiæ cœtus properant, ut ibi gregatim vocem Pastoris sui audiant. Et hoc sibi volunt illa Pauli: *Observemus alij alios, ut nos accumus ad charitatem & bona opera: non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes alij alios.* Heb. 1c. 24. 25. Exemplo Davidis exulis liquet, quām molestum & cruciabile sit Dei filii, si à publicis pietatis exercitiis divinoque cultu abesse cogantur. Audiamus suspiria, vota & desideria pii pectoris: *O Iehova, diligo habitaculum domus tuæ: & locum habitationis gloriae tuæ.* Ps. 26. 8. *Vnum petij à Iehova, id ipsum requiro, ut habitem in domo Iehovæ omnibus diebus vita meæ; ad videndum amænitatem Iehovæ, & ad inquirendum in templo ejus.* Ps. 27. 4. *Sicut cervus gloriat ad alveos aquarum: sic anima mea gloriat ad te, Deus.* Sicit anima mea Deum, Deum viventem, dicens, *Quando introibo ut appaream ante faciem Dei?* Psal. 42. 2. 3. *Quām amabilia sunt tabernacula tua, ô Iehova Deus exercituum!* Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea, propter atria Iehovæ: cor meum & caro mea vociferantur propter Deum vivum. Etiam pauper invenit domum, & hirundo nidum sibi, in quae ponat pullos suos: altaria tua desidero, ô Iehova Deus exercituum, Rex mi & Deus mi. Beati qui inhabitant domum tuam, qui perpetuo laudant te. Psal. 84. v. 2—5. Nec mirum. Ubi à grege se separet ovis, facile eam rapit & lacerat lupus. Christianus, cultum divinum negligens, & ex sacris cœtibus absens, in magnum se periculum conjicit, & Diaboli insidiis ac violentiæ

lentice expositus est. Expertus Thomas Apostolus: aberat ille à cœtu discipulorum, cùm se redivivum illis Christus exhiberet. Malè factum: ipso Paschatis die Thomam defuisse congregationem sanctorum. Sed & malè cessit haec absentia. Hinc enim octiduana de Christi resurrectione dubitatio. Ioan. 20. 24. & seqq.

Denique respectu sui ipsorum eleganter *ovibus* comparantur pij. Etenim 1. Oves fido bonoque egent pastore, quum ad errorem proclives sint, & luporum furu[m]que insidiis obnoxiae. Salus piorum à Christo Pastore & Custode pender. Hinc in laudes ejus erumpit David: *Nisi Iehova adfuerisset nobis, quum insurgerent contra nos homines: Tunc vivos deglutiissent nos, quum ex corde serceret ira eorum in nos.* Benedictus sit Iehova, qui non exposuit nos prædæ dentibus eorum. Ps. 124. v. 1. 2. 3. 6. Neque secus Paulus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. Quibus illud Ioannis additum: *Potentior est qui est in vobis, quām qui in mundo est.* 1. Ioan. 4. verl. 4. 2. Ovis est animal simplicissimum, doli & astutiae expers: Pij quoque simplices sunt atque sinceri: non ore aliud profitentur, & corde aliud premunt. Auscultant monito Pastoris sui: *Ecce, ego mitto vas ut oves in medio luporum: estote igitur prudentes ut serpentes, & simplices ut columbae.* Matth. 10. 16. Sic innocentiam, & integritatem & similitatem suam probavit Jacobus, duro suo & iniquo socero Labani, qui decies mercedem ipsi immutarat. Gen. 31. vers. 41. Jobus, Deo ipso judice, fuit vir integer, & rectus, timensque Dei. Iob. 1. v. 1. Christus videns Nathanaëlem venientem ad eum, dixit de eo: *Ecco vere Israëlitæ in quo dulus non est.* Ioan. 1. v. 48. Sit ergo hoc nostrum omnia votum: *Integritas & rectum custodian me.* Psal. 25. vers. 21. 3. Oves paucis sunt contentæ, macrisque & tenuibus paucis delectantur: imò si inanimis pinguis pascua incident, morbidæ ferè fiunt, ut pulmones & jecinora ipsarum putreficerent incipient. Et pios

valde ornat atque commendat *autē pietas*. Unde Paulus: *Est questus magnus pietas cum anima suā sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nes efferre quicquam possimus.* Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, haec nobis satis erunt. 1. Tim. 6. 6. 7. 8. Ioannes Baptista edebat locustas & mel sylvestre. Marc. 1. 6. Et Paulus de se: *Ego, ait, didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.* Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus iniciatus sum, & ad sati- tatem & ad esuritionem, id est, tum ad exundantiam, tum ad penuriam: omnia valeo per eum qui me corroborat, nempe Christum. Philip. 4. 11, 12. 13. Quum opulentia crescit, & divitiis affluunt homines, cor apponere solent, teste Davide. Psal. 62. 11. Atque tum omnis pietas putrefaciere in illis incipit. Ex Pau- lo hoc haurire est: *Qui volunt ditescere, incident in tentatio- nem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, que demergunt homines in exitium & perniiciem.* Siquidem radix o- nnium malorum est amor pecuniae: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipso undiquaque transfixerunt doloribus mul- tis. 1. Tim. 6. 9. 10. Qui mediocri sunt conditione, & suā sorte contenti vivunt, quietissimè & tutissimè vivunt. Haud ignarum id Salomonis, cuius hoc fuit votum: *Pauper- tatem aut divitias ne des mihi, ale me cibo demensi mei. Ne satu- ratus abnegem Deum, ac dicam; Quis est Ichova? neve pauper- factus furer, denique abutar nomine Dei mei.* Prov. 30. v. 8. 9. 4. Oves pura & munda sunt animalia: non voluntantur in- cōrō, ut sues lutulenti. Sic pijs, cultores sunt puritatis & munditiei. Et meritò quidem. Sic enim Paulus: *Hac est vo- luntas Dei, inquit, nempe sanctificatio vestri, id est, ut abstine- atis à scortatione: ut sciat vestrum unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore.* 1. Theff. 4. v. 3. 4. Sanè sine sancti- monianemo videbit Dominum. Hebr. 12. 14. Atque hoc ipsum Christus confirmat, dicens: *Beati qui sunt mundo corde: quo- niam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. 8. Equeum atque hono- rificum

rificum est, oves munditie atque castitate Pastorem suum referre. Testis Ioannes: *Quisquis habet hanc spem in eo sicam; castum se conservat, sicut & ille castus est.* 1. Epist. 3. vers. 3. 5. Humiles sunt oves: non exultant ferocitate, ut equi: non superbiunt lanā, ut pavones pennis: nec in sublimie ascen- dunt, ut capræ: Pij humilitati student: nec obliviscuntur exhortationis Petrinæ: *Submissione animi estote intus ornati- nam Deus superbis obficit, submissis autem dat gratiam.* Sub- mittite vos igitur robustæ manui Dei: ut vos opportuno tempore ex- tollat. 1. Epist. 5. 5. 6. Accommodant se ostio ovilis, quod ipse Christus est. Ioan. 10. vers. 7. Ostium hoc humile est, ut per illud ingressuri submittere se cogantur. *Discite à me, inquit, quod mitis sim, & humili corde.* Matt. 11. v. 29. Nimirum caulæ non sublimibus altisque portis, sed humilibus & depresso- sis ostiis muniuntur. Et tales nobis Spiritus sanctus passim de- pingit Christi oves. Abrahamus, omnium credentium Pa- ter, submissè de se: *Ego, inquit, sum pulvis & cinis.* Gen. 18. vers. 27. Iacobus, à quo Dei populus nomen Israëlis acce- pit, humiliiter Deo supplicat: *Impar sum omnibus his beneficijs, totique illi fidei quam præstisti servo tuo.* Genes. 32. vers. 10. David, plissimorum regum decus atque ocellus, ex intimâ animi submissione exclamat: *Quis sum ego, Domine Iehovi, & quæ est familia mea quod deducis me eousque?* 2. Sam. 7. 18. Centurio Capernaumaticus, vir magnæ apud suos authorita- tis, modestissimè Christo dicit: *Domine, non sum dignus ut sub- tectum meum ingrediaris.* Matth. 8. 8. 6. Ovis est animal ru- minans: quod raptim & cursim interdiu in pascuis come- dit, illud postea ad rumen revocat. Pij cibo divini verbi in- templo pasti, domi audita cum liberis & domesticis repe- runt, ex Dei mandato: *Erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: eaque acutè ingeres filii tuis, ac loqueris de eis quum sedes domi tuae, & quum ambulas per viam, quum cu- bas, & quum surgis; etiam alligabis ea in signum manui tuae, &* erunt

erunt pro frontibus inter oculos tuos : idque inscribes ea postibus domus tuae, & portis tuis. Deut. 6. 6—9. Ita Maria, Domini mater, conservabat omnia ista, quæ ipsi dicta fuerant à pastoribus Bethleemiticis, conferens ea in corde suo. Luc. 2. 19. 7. Quando oviculis adversi aliquid accidit, altâ voce bâlant, sicutque metum suum produnt : pij afflictionibus pressi, ad Pastorem suum cœlestem clamant, ejusque opem implorant : idque jussi à Deo : *Invoca me tempore angustiae : eripi am te, ut glorifices me.* Psal. 50. v. 15. Ita quoque Paulus : *Sine intermissione orate.* 1. Thess. 5. 17. Item Iacobus Apostolus : *Eger est animo aliquis inter vos? oret.* cap. 5. v. 13. Apostoli, tempestate magnâ factâ in mari, & navi fluctibus operâ, Christum inclamat: *Domine, serva nos, perimus.* Matt. 8. 25. 8. Oviculae sunt patientes ; ad mactationem ductæ, non grunniunt ut porci, non reluntur ut tauri, non recalcent ut equi ; sed prorsus obmutescunt , nec os suum aperiunt, nec vim vi repellunt. Sic tolerantia summum ovium Christi est ornamentum. Hoc ipsis antidotum omnium malorum prescrispsit Pastor ipse : *Per tolerantiam vestram possidete animas vestras.* Luc. 21. 19. Idem sonant Pauli hæc : *Tolerantia eobis est opus, ut voluntati Dei obsequuti, reportetis promissionem illam.* Hebr. 12. 36. Quod alii remedium Paulus commendavit, illud ipse cum collegis suis, rebus adversis, adhibuit: *In omnibus, ait, nos approbamus, ut Dei ministros, tolerantia multa in afflictionibus, in necessitatibus, in angustijs & verberibus, in carceribus, in exagitationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.* 2. Cor. 6. 4. 5. Ita animum suum patientiâ muniverat Iobus , omnibus suis liberis & facultatibus orbatus : *Iehova, inquit, dedit, & Iehova absulit,* sit nomen Iehovæ benedictum. cap. 1. 21. *Scilicet bonum acceperimus à Deo, & malum non acciperemus?* cap. 2. 10. Et David malis conflictans, animum suum hoc obfirmavit proposito : *Obmutescam, non aperiam os meum: quia tu, Iehova, fecisti.* Psal. 39. 10.

III. Quot? Centum oves fuerunt homini huic. Nimirum definitus est numerus electorum, qui nec augeri potest, nec minui. Non quod centum duntaxat sint. (infinita enim millia sunt.) Sed quod, perinde atque pastor oves centum habens, certum earum numerum habet : Sic etiam Deus suos habeat electos certo numero. Pelagiani & Remonstrantes, Dei electionem ad certas & singulares se personas extendere negant: quod tantundem est, ac si nullam omnino electionem esse affererent. Imò verò Pastor cœlestis oves suas vocat nominatim. Ioan. 10. v. 3. *Vocavi te nomine tuo;* ait Deus electo Israeli. Esaï. 43. 1. Et quid Christi hisce pronunciatis evidentius: *VOBIS datum est nosse mysteria regni celorum; ILLIS autem non est datum.* Matth. 13. 11. Gaudete quod. *NOMINA VESTRA scripta sunt in celis?* Luc. 10. 20. Nihil etiam clarius dictis illis Apostolicis : *QVOS praedestinavit, EOS etiam vocavit.* Rom. 8. 30. *Novit Dominus EOS qui sunt SVI.* 2. Tim. 2. 19. Exemplis confirmo. Elegit Deus Petrum, non Iudam pro ditorem. *Non de omnibus vobis loquor, inquit: ego scio quos elegerim.* Ioan. 13. 18. *Iacobum dilexit; Esavum autem odio habuit.* Rom. 9. 13. Et sanè non major causa est, cur piaz mentes conturbentur, cum audiunt nos pronunciantes, definitum esse ovium Christi, h. e. electorum & scriptorum in celis, numerum, id est, Deo sic constare de numero filiorum ac domesticorum suorum, ut neminem suorum non agnoscat, & ut nemo exotericus eundem fallat: quam si dicamus, optimo & prudentissimo patri de numero suorum liberorum, & cordato hero de domesticorum serie sic constare, ut neuter falli possit. Nisi fortè putare convenit, minus esse Deum suarum rerum suorumq; familiarium conscientem & memorem, quam sint φίλες φρεστες homines, nimium non raro & inscriberum suarum, & obliviousi. Quicunque autem scire avet, an una sit ex centum hisce Christi oviculis, in seipsum descendat:

dat, ac probè se exploret, utrum notas ac proprietates ovium Christi, supra explicatas, in se deprehendar, nec ne.

II. O V I S A M I S S A E T E R R A N S.

Pergit Christus, & subjicit: *Et erraverit una ex eis. Errare quid sit, omnes norunt, videlicet à recta via descendere, & hoc atque illuc vagari.* Exemplis illustrò. Hagara, dimissa ab Abrahamo, vagabatur per desertum quod dicitur Beer-schebabi, Gen. 21. 14. Iosephus, quærens fratres suos, errabat per agrū. Gen. 37. 15. Hinc sumptā metaphorā, errare dicuntur, qui à via mandatorum divinorum recedentes, in mundi ac peccati aviis vagantur, ac nisi à Deo reducantur, in eternum exitium ruunt. Phrasī hac David utitur, dicens: *Tu Deus perdis superbos, maledictos; qui errant à præceptis tuis.* Psal. 119. 21. Atque sic omnes, qui nondum per Spiritum sanctum regenerati sunt, errant. Disertè Esaias: *Omnes nos ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus.* Esai. 53. verl. 6. Nam homo, à Diabolo seductus, Deo tergum obvertit, ac à via justitiae in viam injustitiae deflexit: quo verò longius progredivit, eo etiam longius à Deo recedit. Eundem Esaiam audite: *Intiquitates vestre deferrinant inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra faciunt ut occultet faciem à vobis ne exaudiatur.* cap. 59. vers. 2. Reduxit quidem Pastor cœlestis oves suas ab aviis in vias Dei, & à peccato ad justitiam: sed ea ovium est negligentia, atque imbecillitas, hostiumque eis insidianantium potentia, ut sibi relictae, subinde in errorem relabantur. Expressè Iacobus: *In multis impingimus omnes.* cap. 3. 2. Alii errant in fide, alii in vita. In fide errant; qui vel veritatem agnitarunt, metu periculi, aut spe lucri, abnegant, ita erravit Petrus. Matth. 26. 70. vel impatientiâ in cruce, calamitatibus & tentati-

tentationibus franguntur. sic Jobus ex angustiis, diei ortus sui maledicens; contra naturam, & contra Deum, propter vitam acceptam & conservatam, contendit. Job. 3. vel nimium securi preces cum Christi discipulis negligunt. Matth. 26. 41. *In vita errant;* qui mundi confortia ambientes, ab eo decipiuntur. De Dema Paulus: *Demas me deseruit, amore induitus praesentis seculi.* 2. Tim. 4. v. 10. Item, qui animum ad semetiplos non attendentes, nec cor suum obseravntes & custodientes, à carne corrupta, mundo & Satanā ad enormia peccata impelluntur. Exempla sanctorum passim obvia sunt. Obstrinxit se Noachus ebrietate, Gen. 9. 21. Lotus incestu. Ibid. cap. 19. 34. 35. Simeon & Levi, filii Iacobi Patriarchæ, diram & indignissimam perpetrarunt coedem. Ibid. cap. 34. 25. 26. David, ira & indignatione percitus, in perniciem non tantum Nabalism, sed etiam omnium ejus domesticorum tam innocentium, quam nocentium, temerè juravit. 1. Sam. 25. 22. Idem homicidio & adulteriose coinqvinavit. 2. Sam. 11. 4. 15. ac instinctu Satanæ ambitione & arroganter populum numerari jussit. Ibid. cap. 24. 1. Salomon, multarum exterrarum foeminarum consortio corruptus, in idololatriam lapsus est. 1. Reg. 11. 1. & seqq. Inter Paulum & Barnabam, optimos & conjunctissimos viros, & Ecclesiæ lumen atque columnas, tristis exorta fuit exacerbatio, ut alter ab altero abscesserit. Act. 15. 39. Petrus simulatione turpi se poluit. Gal. 2. 12. 13. Hujus erroris causa & culpa non est in Christo Pastore. hic enim oves suas amat, curat, educit, defendit. Imò licet aberrent, manum tamen ab eis non absrahit, sed errantes querit, amissas reducit, lapsas erigit, vulneratas obligat. Atq; hoc respectu fieri non potest, ut una ex oviculis ejus pereat. Firma enim est & immutabilis Dei electio. *Fieri non potest ut seducantur electi.* Matth. 24. 24. *Dona illa & illa vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum posse nitere*

nitere non possit. Rom. 11. 29. Ad istam electionis gratuitatem & aeternam immutabilitatem Pastor ipse provocat: *Hae est voluntas eius qui misit me, id est, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Ioan. 6. 39. Uberius adhuc: *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex iis periret.* Ibid. cap. 17. v. 12. Aeternam quoque dilectionem Christus oves suas prosequitur: *Ego, inquit, agnoscō oves meas, & ego vitam aeternam do eis, nec peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam e manu mea.* Ibid. cap. 10. 27. 28. Certissimum hujus dilectionis pignus est, quod semper interpellat pro suis, Hebr. 7. 25. ne deficiat fides eorum. Luc. 22. 32. sed ut Pater coelestis eos ab impietate illo conservet. Ioan. 17. v. 15. Nunquam autem ista Christi intercessio fructu & effectu suo caret. Ipse Patri suo dicit: *Pater, gratias ago tibi quod me audieris. Ego vero sciebam me semper a te audiari.* Ibid. cap. 11. 42. Culpa erroris in hostibus ovium residet; qui sunt vel internus vel externi. *Internus & domesticus ovium Christi hostis est vetus Adamus, seu caro corrupta cum suis affectibus, & cupiditatibus, quae semper militant adversus animam.* Pet. 2. 11. & partem illam hominis quae regenerata est. Profitetur Paulus: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec autem inter se opposita sunt, ut non quaecunque voluntatis, eadem faciatis.* Gal. 5. 17. Quod ipsum sibi quoque volunt Jacobi verba: *Vnusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrabitur & inescatur.* cap. 1. 14. Quam molestus & infestus hic hostis Paulo fuerit, molestiae haec querelae ejus arguunt: *Novi non habitare in me (id est in carne mea) bonum. nam nolle adest mihi, sed ut quod bonum est efficiam, non afferem.* Non enim facio bonum quod volo: sed malum quod nolo, hoc ago. Quod si id facio ego quod ego nolo, non amplius ego id perpetuo, sed peccatum quod in me habitat, id perpetratur. Invenio igitur volentem mihi facere bonum hanc legem impositam esse, quod mihi malum adiaceat. Dilector enim *Lege Dei quod ad interiorum hominem: Sed*

cerno aliam legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis mee, & captivum redditem me legi peccati, quae est in membris meis. *Et ruminos ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Rom. 7. 18—24. Evidem in magno civitas versatur discrimine, quae foris ab hoste obfessa, intus fovet proditores, omnium consiliorum factorumque conscientes & eliminatores. Ejusmodi adversarium nos in sinu fovemus, qui nobiscum cubat, surgit, ad mensam sedet, quem palcamus, humaniter tractamus, defendimus, inque nos ipsos armamus. Semper Christi ovibus aliquid veteris & corruptae naturae adhaeret, donec morte abripiantur. Res ipsa clamat. Ad errorem proclives sunt oviculae, & semel in errorem ductae, subinde longius aberrant, donec a pastore ad gregem reducantur. Proni & nos ad errores sumus, & ubi semel a regia via defleximus, redire ad caulam Domini nequimus, nisi coelestis Pastor nos querat & reducat. Haud ignaruid Davidi, cuius hoc fuit votum: *Erro ut parva pecus quae perit, require servum tuum.* Ps. 119. 176. Nam gradatim David ex peccato in peccata prolapsus est, ex otio in lascivum Bathseba intuitum, ex intuitu in fedam concupiscentiam, ex concupiscentia in propositionem eam vitiandi, ex proposito in impudentem ejus solicitatem ad adulterium, ex solicitatione in adulterium ipsum, ex adulterio in homicidium, ex homicidio in foetus suppositionem, & ex hac in torporem & securitatem, quae integrum ferè annū duravit: donec a coelesti Pastore per Nathanem Prophetam ad peccatorum conscientiam revocaretur. 2. Sam. 11. & 12. capp. Sic Petrus Apostolus, Christo Magistro capto, gregem deseruit, hinc curiositate ductus impiorum se confortio associavit, post ad ignem se calfecit Pontificis, mox Christum negavit, juramento deinde se falso obstrinxit, denique Diabolo se devovit, donec Christus Pastor oculis eum gratiae & misericordiae intueretur. Luc. 22. 61. Adhaec oves terram & litum comedunt, unde morbo coruptae mortem

tem s^epe sibi confiscunt: Ita nobis, ex terra factis, terra adhuc grata est: pondus illud luteum corporis deprimit atque detrahit promptitudinem spiritus ad Deum in coelum volare parati. Nostis quid Christus discipulis somno sopitis exprobarit: *Spiritus quidem est promptus, sed caro infirma.* Matth. 26. v. 41. Petrus, Christo transfigurato, coelum in terra quæsivit, & gloriam perennem in monte Thabor. Dixit enim Iesu: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis facio*n*mus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Eliae unum.* March. 17. v. 4. Ægrè eò pervenire possunt pii, ut dicant cum Apostolo: *Desiderio tendo ad dimissionem, & ut cum Christo sim.* Phil. 1. 23. Porro oves in ignem incurunt, & ex extractæ, in exitium rursus præcipites raunt. Pii, sibi relicti, viam amant & pergunt, quæ in ignem infernalem dicit: & quamvis à Christo erepti, ab exitio tamen sibi, eâ quâ par est sollicitudine, non carent. Præterea stolida admodum animalia sunt oves, ut in proverbium earum stoliditas abierit. Et nos stultitiam difficulter exuere possumus; s^e pissimè se illa exerit. Viatores Emmaunticos, toties tantâque perspicuitate de morte & passione regnique sui qualitate eruditos, ob stultitiam Christus graviter perstringit: *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus, quæ loquuti sunt Prophetæ.* Luc. 24. 25. In Galatas acriter etiam Paulus inventitur: *O amentes Galatae, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati: quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus?* Gal. 3. 1. Et quis nostrum est, qui non aliquando stultitiam errari? Denique oves sunt imbecillia animalia, quæ ipsæ se à furum insidiis luporumque rabie tueri non possunt. Sic nos naturâ, nobisque relicti, adeò miseri & infirmi sumus, ut ne momento quidem contra Diaboli furores & mundi malitiam subsistere possimus. *Vanitas sumus.* Psal. 62. ro. *Pulvis sumus.* Psal. 103. 14. *Gramini similes sumus, & floragi.* Esaï. 40. vers. 6. *Contra Diabolus, adversarius noster, validus*

validus est armatus, Luc. 11. 21. & *Leo rugiens.* 1. Petr. 5. 8. Verè ut dictum sit à Principe pastorum: *Seorsim à me nihil potestis facere.* Ioan. 15. 5.

Externi ovium Christi hostes duo sunt, Diabolus & mundus. *Diabolus*, lupus ille infernalis, insidiatur ovibus Christi ut Tentator, Acculutor, & Tortor. Ut Tentator, eas ad peccata instigat. Matth. 4. v. 3. *Paulum colaphis cecidit.* 2. Cor. 12. 7. Ut Acculutor, eas in conspectu Dei die ac nocte hypocrisias, & aliorum peccatorum in quæ eas præcipitavit, accusat. Apoc. 12. vers. 10. Id quod Iobi exemplo liquet, quem hypocrisia apud Deum insimulavit. Iob. 1. 11. & cap. 2. v. 5. Ut Tortor, oves Christi conscientiæ stimulis pungit, & ad desperationem adigere satagit. Matth. 18. 34. Diabolus omnes habet conditiones, quæ in hoste considerari solent. Veteranus est hostis, qui jam propemodum senis annorum millibus hanc insidiandi artem exercuit, & ab hac veteratoriâ *Serpens antiquus* vocatur Apoc. 12. vers. 9. Callidus est & astutus, in *angelum lucis se transfigurare* novit. 2. Cor. 11. v. 14. Ipsam *Ebam seduxit calliditate sua.* Ibid. vers. 3. Est fortissimus, unde Paulus: *Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, id est, tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales improbitates quæ sunt in sublimi.* Eph. 6. v. 12. Adamum vicit in naturæ integritate: quos non vinceret in ejusdem corruptione? Impudentissimus est hostis, qui semel victus non cedit, sed ad tentandum fortius insurgit. Ipsum Christum semel, iterum, tertium aggressus est. Matth. 4. vers. 3. 5. 8. Ab his pendent isthæc: *Quum impurus spiritus exierit à quoquam, ambulat per arida loca, querens requiem, & non invenit.* Tunc dicit, *Revertar domum meam, unde exiui.* Et quum venit, invenit eam vacantem, versam & ornatam. Tunc abit & accipit secum septem alias spiritus pejores quam ipse fit: & ingressi habitant illic. Ibid. cap. 12. v.

12. vers. 43. 44. 45. Denique imperterritus est hostis; quia maximos adoritur. Christum ipsum, Servatorem nostrum justissimum, sapientissimum ac potentissimum, ad desperationem, temeritatem & idololatriam tentavit. Matt. 4. Protoplastos ad apostasiam solicitavit & impulit. Gen. 3. Apostolos in schola Christi appetiit quos ventilaret sicut triticum. Luc. 22. 31. Et quam graviter Regem Davi- dem, virum illum secundum Dei cor, sauciarit, paulo ante commemoravimus. Nec colaphos ejus effugere potuit, Paulus, electum illud Dei Vas, quod in tertium usque coe- lum raptum fuerat. 2. Cor. 12. 7.

Alter externus ovium Christi hostis est *Mundus*, qui uti malus est, Gal. 1. 4. & totus in malo jacet; 1. Joan. 5. v. 19. ita pios ad mala quævis incitat & pellicit, ut Satanae eos amicos, & Dei inimicos reddat. Graviter & nervose Iacobus: *Adulteri, inquit, & adultera, nescitis amicitiam mundi, inamicitiam esse adversus Deum?* Quicumque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur. cap. 4. 4. Inducit autem Mundus ovinas Christi in errorem tripliciter: 1. Malis exemplis, malitiosis blanditiis, & largis, sed fallacibus, promissis. Mundi escae sunt *cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitae*, quibus multi capiuntur. 1. Joan. 2. vers. 16. Ita illaqueatus Demas, de quo Paulus: *Demas me deseruit, amore inductus presentis seculi, & profectus est Thessaloniam.* 2. Tim. 4. 10. Vivam mundi imaginam in Joabo cernis de- pictam: *Dixit Joab Hamasa, tune prospere agis, frater mi? apprehenditque manus dextera Ioabi barbam Hamasæ, ut oscularetur eum. Quumque Hamasa non caveret sibi à gladio qui erat in manu Ioabi, percussit eum illo in quinta costa, & effudit viscera ejus in terram, adeò ut iterato ei ita moreretur.* 2. Sam. 20. vers. 9. 10. Quemadmodum Iudas osculo Ser- vatorem nostrum prodidit, vendidit, tradidit: Ita mundus mellitâ blandiloquentiâ, fraudulentâ laudatione, arriden- te fa-

te facie, & splendidis promissis, quasi osculo, oves Christi saepe mescat & prodit. Ab his mundi illiciis Salomon pios præmonet: *Fili mi, si pellicere volent te peccatores, ne acquiescito. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus nos contra innocentem impunè: absorbebimus eos velut se- pulcrum vivos, & integros ut descendentes in fossam: omnem sub- stantiam pretiosam consequemur, implebimus domos nostras spoliis: sortem tuam conjicies inter nos: marsupium idem esto nobis omni- bus.* Fili mi, ne ambulato viâ communii cum illis, cohibe pedem tuum à semita illorum. *Quia pedibus suis ad malum concurrunt, & festinant ad effundendum sanguinem.* Prov. 1. 10.—16. Atque in eo totus hactenus Christus in hujus decimi octavi Capitiis serie fuit, ut ab offendiculis à mundo positis nos præmoneret. 2. Mundus spargit hærefes, quibus oves Christi corrumpantur, & à sanâ veritatis & pietatis doctrinâ avel- lantur. Hæretici sues illi sunt & latrones, qui falsis suis dog- matis animas ovinum Christi furari & occidere satagunt. Joan. 10. 8. Quid respiciens Paulus, ait: *Ne simus amplius pueri, qui fluctuamus & circumferamus quovis vento doctrinæ, in hominum alea, per veteroram ad artificiosè fallen- dum versutiam.* Eph. 4. 14. In Veteri Testamento Diabolus excitavit falsos Prophetas, perfidosque Sacerdotes & Le- vitas, de quibus Esaias: *Popule mi, qui ducunt te, seducent, & viam itinerum tuorum regunt.* Esai. 3. v. 13. Tales in Novo Testamento illi de quibus Paulus: *Spiritus disertè dicit fore ut posterioribus præstitutis temporibus desciscant quidam à fi- de, attenti spiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à ci- bis quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui nôrunt veritatem.* 1. Tim. 4. vers. 1. 2. 3. Et hodie multi à Pontificiis, Socinianis, Pelagianis, Ana- baptistis, aliisque hæreticis seducuntur. 3. *Ubi hâc vi-*

non succedit mundus, exutâ vulpinâ, leoninam induit, ac tyrannidem in oves Christi exercet. Prædictum à Pastore nostro: *Si mundus vos odit, scitis me prius quam vos, illis odio habitum.* Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non essetis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. Ioan. 15. 18. 19. Quot verò metu persecutum à fide deficiunt, & Christum deserunt? Metus periculi Petrum & Thomam, Christi Apostolos, transversos egit; fidemque eorum labefactavit. Marc. 14. vers. 71. Ioan. 20. vers. 24. Idipsum hodieque fit in Germania superiori, Boëmia, provinciis Belgicis ab Hispano subjugatis, & alibi.

Uſus I. ad diſcretaſ.

Nulla in hac vita piorum & ovium Christi somnianda est perfectio. Errare possunt oves Christi, sibi relictæ, & sape errant. Semper enim caro spiritui, & spiritus carni repugnat: plaga hi hostes in piis alternant, ut nunc rectâ viâ hi incedant, nunc aberrent: nunc stent, nunc nutent, nunc cadant; nunc frigeant, modò caleant, mox tepeant: nunc vincant, nunc succumbant: nunc progrediantur, nunc regrediantur: nunc vigilant, nunc alicant, nunc dormiant; nunc arma capeant, tractent, expoliant, in hostes intentent: eademque mox abjiciant, aut rubiginem contrahere sînant. Ingenuè de se Paulus: *Non quod jam metam apprehendebim, aut jam sim consummatus: sed persequor experiens an quoque apprehendam, cuius etiam rei causa apprehensus fui à Christo Iesu.* Fratres, ego meipsum non reor metam apprehendisse. Philip. 3. vers. 12. 13. De omnibus civibus Ecclesiæ militantis idem Paulus: *Ex parte, inquit, cognoscimus.* 1. Cor. 13. vers. 9. Ergo etiam ex parte diligimus. Nemo est, cui non sit ingeminanda illa Orationis Dominicæ petitio: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus*

vibis nostris. Matth. 6. v. 12. Mendacio se obstringit, quis quis purum se à peccatis jactat. Ioannem adi: *Si dixerimus, inquit, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus Deum, & sermo ejus non est in nobis. 1. Ioan. 1. 8. 10. Quàm facile oves à grege: tām facile nos à grege Dominico aberramus. Qui perfectionem somniant in terris, solos se in cœlum ascensuros, stultè existimant.

Uſus II. ad maledicay variam.

I. **Q**uum ad errorem tām proclives sumus, gressus nostros studiolè observemus, solicite nobis ab erroribus caveamus, hostium nostrorum ingenium & infidias penitus perspectas planèque cognitas habeamus; semperque salutare illud Christi monitum mente memori recolamus: *Vigilate & orate, ne introcatis in temptationem. spiritus quidem est promptus, sed caro infirma.* Matth. 26. 41. Neque unquam usquamve nobis excidat istud Pauli: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficie.* Philip. 2. 12. Et semper voto isthuic Davidico nostrum quoque jungamus: *Ex toto animo meo quero te, ne sis me errare à preceptis tuis.* Psal. 119. 10. Iteramus petitionem illam: *Nos inducas in temptationem, sed libera nos à malo.* Matth. 6. 13. Ac cum Petro identidem Deo supplicemus: *Deus omnis gratiæ auctor, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos, is, inquam, perficiat nos, stabilit, roboret, fundet.* 1. Epist. 5. 10. Moveant nos tristes & acerbi errorum ac lapsum fructus: Deus iis offenditur: reatus mortis contrahitur: Spiritus sanctus contristatur: fidei exercitia interrumpuntur: conscientia gravissime lauciatur: sensus gratiæ ad tempus amittitur. Hinc nata illa Davidis suspiria: *Transgressiones meas ego agnosco: & peccatum meum obversatur mihi jugiter.*

jugiter. Contra te solum peccavi, & quod malum est in oculis tuis feci. Facito ut audiam gaudium & latitiam, exultent ossa que contrivisti. Absconde faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniuriantes meas dele. Ne abjicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi gaudium salutis tuae: & spiritus spontaneus sustentet me. Psal. 51. vers. 5. 6. 10. 11. 13. 14.

II. Quum tām facile oves Christi errant, solicite provideamus, ne malo eis exemplo, aut offendiculo objecto, erroris occasionem præbeamus. Deus cœlitus tonat: *Maledictus qui facit ut cœci erret in via: & dicet totus populus, Amen.* Deut. 27. 18. A quo non abludit vox illa Christi, quæ semper aures nostras ferire debet: *Vt homini illi per quem offendiculum evenit;* Matth. 18. 7. Qui pravo exemplo hominem in peccata illicit, is quantum in se est, eum perdit. Rom. 14. 15. Ut contra proximum servat, qui bono eum exemplo ædificat, in bono confirmat, & à malitia revocat. Id quum dicimus, cum Scripturā sacrā loquimur. Clarissime Paulus: *Intentus esto tibi ipsi & doctrinæ: & permane in istis. id enim si feceris, & te ipsum servabis, & eos qui te audierint.* 1. Tim. 4. 16. His paria Jacobus: *Fratres, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum qui piam, sciat eum qui averterit peccatorem ab errore via sue, reveraturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum.* cap. 5. vers. 19. 20.

III. Condoleamus lapsis & errantibus, memores communis infirmitatis & ad errandum proclivitatis, eosque magno conatu atque studio in viam veritatis ac salutis reducere satagamus. Atque hoc est quod Paulus tanto ardore spiritus inculcat: *Fratres, etiam si preoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & natus tenteris.* Gal. 6. v. 1. Ipse Christus, perspectâ summa Judo-

dæorum nequitia & ingratitudine, à lacrymis sibi temperare nequivit. Luc. 19. 41. Afflictorum gemitus lacrymas nobis excutiunt: & dolore in ipsorum miseriis angimur: quæ ergo ratione lapsus & peccata eorum enormia, & quæ hæc manet, perniciem, siccis oculis intueremur? Impii Caini vox est: *An custos ego sum fratri mei?* Gen. 4. v. 9. Verè pii Davidi succinunt: *Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad te convertantur.* Psal. 51. 15. Hac de cauſâ Christus Petro edicit: *Tu conversus stabili fratres tuos.* Luc. 22. vers. 32.

IV. Ubi erraverimus, statim ad Pastorem nostrum & gregem redeamus. Semper enim verè resipiscentibus diuinæ misericordiae ostium patet. Audite Deum dulcissimis & flexanimis verbis errantes oviculas ad se revocantem, & propositâ certâ veniæ spe invitantem: *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatē actionum vestiarum ex adverso oculorum meorum: definite malefacere, discite benefacere, querite jus, beate oppressum, jus dicite pupillo, suscipite causam viduae. Venite jam & discipitemus, inquit Iehova: si fuerint peccata vestra velut dibapha, tamquam nix exalbescunt: si rubra fuerint velut coccineum, similia lane erunt.* Esai. 1. 16. 17. 18. Christus Euangeli prædicacionem auspiciatus est ab hac hortatione: *Resipiscite.* Marc. 1. 15. Stat illa Dei juramento firmata promissio: *Ne vivam ego, di-
ctum Domini Iehovi, si delector morte improbi; sed delector quum revertitur improbus à via sua, ut vivat: revertimi ni, revertimi-
ni à viis vestris pessimis: cur enim moreremini domus Israëlis?* Ezech. 33. 11. Quum vero hoc in nostris non sit positum viribus, Deum precemur cum Davide: *Cor mundum crea-
mibi, & Deus: & spiritum firmum renova intra me.* Psal. 51. 12. Et cum Ieremias: *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus.* cap. 31. 18.

U l u s III. ad επειρογθωσι.

I. P E ssimè sibi consulunt securi, qui præpostera quādām carnis fiduciā fascinati, stare se firmiter putant, nec unquam lapsuros vel erraturos. Malè id Petro cessit, qui longissimè se ab errore & lapsu abesse existimans, proximus ei erat. Matth. 26. 33. 34. Quare semper aures animique nostri monito illo circumsonent Apostolico: *Qui si videretur stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. 12. Nemo excœari se patiatur sanctitatis opinione; nam sanctissimus Rex & Prophetæ David erravit. *Erro, inquit, ut pecus quæ periret.* Psal. 119. 176. Item: *Errores quis intelligat? Ab occultis innozentem me pronuncia.* Psal. 19. 13. Nemo infestetur jactatione sapientiæ; Salomon regum sapientissimus stultissimum factum admisit, quum idolatria se & vagis libidinibus pollueret. 1. Reg. 11.

II. Hic retunditur calumnia eorum, qui asserunt nos docere, nil quicquam obesse ovibus Christi, si ab eis viis aberrent, & in gravissima peccata prolabantur. Portentosum hoc est mendacium. Imò vero statuimus, oves Christi sibi relictas æternū perire posse. Peccatum enim Deo displicet, tam in filiis suis, quam in impiis. Etiam Ecclesia electa ingemiscit: *Indignationem Iehovæ feram, quia percavi in eum.* Mich. 7. 9. Atque ideo studiose sibi à peccatis carent pii, & ad illa solicitati Iosephi illud mox regerunt: *Quomodo facerem malum hoc maximum, & peccarem in eum?* Gen. 39. 9. Et per solam coelestis Pastoris misericordiam stat, quominus in errore moriantur electæ ejus ovinæ. Ex nobis perditio est: ex Deo salus;

Non est prætereundum hic, quod Christus addit, *Vnam ex centum ovibus errasse.* Hinc enim tria notatu & scitu dignissima colligimus:

I. Non

I. Notierrate nec deficere totum gregem; sed nona-
ginta novem oves veluti in tuto collocatas esse; unâ dun-
taxat errante. Haud imus inficias, *iustum quoque septies ca-*
dere, Prov. 24. 16. & *in multis omnes impingere.* Iac. 3. v. 20.
Ast paucæ ex veris Christi ovib⁹ ita aberrant, ut prorsus
gregem deferant, & à Pastore suo fugiant. Major semper
est numerus constantium, quam deficientium. Nam ex de-
ficientibus maxima pars hypocritas agunt. In domestica
Servatoris Ecclesia, unus Petrus turpissimè abnegatione se
obstringit. Eccleiam Corinthiacam unus incestuosus con-
tristat. Ex duodecim filiis Jacobi & Patriarchis unus Ru-
ben incestu fædissimo se paternumque thorum polluit,
duo, sc. Levi & Simeon, cruentam & furialem cædem per-
petrârunt. Reliquæ Deus ab enormibus peccatis gratiâ &
virtute sancti sui Spiritus conservat.

II. Hinc manifestum est, Christum observare & in nu-
merato habere singulas ovinæ errantes. Neque enim in
genere solùm novit quid agant homines, sed etiam in specie
singulorum facta, dicta & cogitata observat. Hinc toties
ingeminat illud: *Novi opera TVA.* Apoc. 2. & 3. capp.
Novit Pastor omniscius & omnipræsens, quid Ego, quid
Tu, quid singulæ ejus ovinæ designant. Exactè novit,
quo animo Ego hæc dicam, quo animo Vos eadem excipia-
tis. *Nominatim vocat singulas suas oves.* Ioan. 10. vers. 3.
Jobus exclamat: *Etiam nunc ecce in celis testem meum, & con-*
scium meum in excelsis. cap. 16. vers. 19. Piè etiam Paulus:
Dominus is est qui me dijudicat. 1. Cor. 4. vers. 4. Næ hoc ac-
cerrimum est peccatorum frænum. Ipsi p̄ij quandoque ne-
cessariae hujus exhortationis obliviscuntur. Neque enim,
quæ par est, solicitudine & reverentiâ Dei certissimam præ-
sentiam semper cogitant. Ideo sœpe ea dicunt & faciunt
audiente & vidente Deo, quæ coram hominibus, ac præfer-
tingunt

tim p̄is, ut Christiano nomini adversa, dicere aut facere ei
rubescerent. Graviter David: *An plantator auris, auctor
audiat? aut formator oculi, auctor intueatur? an castigator gen-
tium, auctor reprehendat?* qui docet homines scientiam, auctor
agnoscet? Psal. 94. vers. 9. 10. Hoc stimulo idem David
filium suum Salomonem ad pietatem excitavit: *Tu
Salomon fili mi, agnosc Deum patris tui, & cole eum corde integro,
& animo studioso, quia omnia corda exquirit Iehova, & quodque
segmentum cogitationum intelligit: si exquisiveris eum, præstò erit
tibi; sed si dereliqueris eum, rejiciet te in perpetuum.* 1. Chron.
28. v. 9.

III. Denique hinc liquidò apparet, *Vnam illam ovem*
*quæ erravit, esse & manere ovem, de quâ reducendâ & tu-
endâ coelestem Pastorem cura attingat.* Nam in erroribus
& lapsibus illis conservat in ovibus semen illud suum im-
mortale, ex quo regenitæ sunt, ne illud pereat aut exutia-
tur. Petrus exprefse *semen incorruptibile* appellat. 1. Epist. r.
v. 23. Et Ioannes in iis, qui ex Deo nati sunt, *semen Dei ma-
nere* afferit. 1. Epist. 3. 9. Deinde per verbum & Spiritum
suum Christus errantes & lapsos certò atque efficaciter ad
fesipiscientiam renovat, ut de admissis peccatis ex animo
& secundùm Deum doleant: remissionem peccatorum in
sanguine Mediatoris per fidem, contrito corde, expetant &
obtineant: gratiam Dei reconciliati iterum sentiant: mi-
serationes & fidem ejus adorent: ac deinceps salutem suam
cum timore ac tremore studiosius operentur. Petrum, post
tristissimum lapsum, *Dominus Iesus conversus intuitus est: &*
*Petrus mox recordatus sermonis Domini, foras egressus, amare fle-
vit.* Luc. 22. 61. 62. De Salomone Deus: *Ego ero illi Pa-
ster, & ipse erit mihi filius: qui quum perverse egerit, corripiam
eum virgē hominum, at plagiis humanis: & benignitas mea non a-
miserbit ab eo.* 2. Sam. 7. 14. 15.

III.

III. O V I S Q U E S I T A.

A Ddit porro Christus: *Nōnne relatis illis nonaginta no-
vem, profectus in montes, querit eam quæ erraverat?* Nem-
pe Christus, Pastor ille bonus & fidelis, ovem perditam
querit I. Sollicitè: II. Citò: III. Fideliter & in-
defessè.

I. Sollicitè: *Relinquit nonaginta novem oves, quæ veluti in
toto collocatæ sunt.* Duo hæc sollicitudinem & anxietatem
Pastoris arguunt:

Primo quod nonaginta novem ad tempus deferere cogitur,
ut perditam persequatur & querat: unde metus, ut foliæ si-
bique relictae, vel ipsæ quoque aberrent, vel à lupis aliisque
feris infestentur, vel à furibus abigantur, vel inediâ pere-
ant. Verum quidem est, periculis hisce occurrere atque
mederi Christi, Pastoris animarum, omnipræsentiam &
omnipotentiam. Illâ ovibus suis semper adest, ex promis-
so: *Eece, ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consumma-
tionem secub.* Matth. 28. v. 20. Hæc eas tuetur juxta illud:
*Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet
eos quisquam è manu mea.* Ioan. 10. 28. Attamen humani-
tatis hoc dictum intelligamus, ad exprimendum dolorem &
sollicitudinem Christi, quod una perdita ovis ipsum à reli-
quiis nonaginta novem, quas tanto emit tantique facit, quasi re-
avellat. Sic fidus hic Pastor, cæteris suis discipulis quasi re-
lictis, exivit ad quærendum & reducendum errabundos du-
cos illos viatores Emmaunticos. Luc. 24. Hoc consilio di-
cipulis suis dicit: *Eamus in contigua oppidula, ut & illic præ-
dicem. ad hoc enim sum egressus.* Marc. 1. 38.

Deinde & hoc sollicitudinem Pastoris auget, quod unam
illam ovem amiserit. Ut conque enim non magis pretij sit
ad reliquias collata; tameq; quia magno illi constitit, & eam
per-

perditam dolet; sollicitè eam quærit: prout inter homines etiam amissa diligentius curantur, quām illa quæ extra periculum sunt. Certè David pro ove perditâ, & à leone ur-
v. 34. 35. 36. Hic affectus & sollicitudo nobis quoque de-
pingitur in patre prodigi, qui filio erranti in occursum ivit,
ac nihil non fecit, ut in domum suam eum reduceret, & ab
exitio liberaret. Hanc solitudinem satis exprimit, cum
filio natu majori obmurmuranti dicit: *Exhilarari & gaudere
te oportebat, quod frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perie-
ratque, & inventus est.* Luc. 15. 32.

II. Cito Christus ovem perditam quærit. Nam *profetus querit*. Non exspectat aliquandiu, donec ovis ipsa ex se re-
deat, novit enim ovem semel in errorem & avia abductam,
longius à pastore & grege recedere, sibique relictam nun-
quam reverti. Novit præterea ovem nullius alterius anima-
lis operâ ad gregem à quo aberravit, posse reduci. Ergo
statim *profetus* perditam querit. Id ipsum exemplo Dei Pa-
tris liquet, qui protoplastos à lapsu & aberratione mox in-
secutus est ac quæsivit. *Inclamavit Iehova Deus Adamum, &
dixit ei: Vbi es?* Gen. 3. vers. 9. Nec aliorum illud Dei
effatum pertinet: *Expositus sum eis qui non interrogabant,
inventus sum ab eis, qui non quærebat me.* Esai. 65. 1. Quemad-
modum nemo ad Christum venire potest, nisi Pater cœlestis per
Spiritum sanctum eum traxerit: Ioan. 6. vers. 44. Ita nemo
qui aberravit, ad Christum redire potest, nisi ab eodem per
eundem Spiritum retractus. Sic quoque cito ac summo
mane cœlestis Pastor prophetas & nuncios suos emisit ad
quærendum Iudæos apostatas. Textum sacrum audiamus:
*Misit Iehova Deus majorum ipsorum ad ipsos per nuncios suos, in-
de à diluculo continenter, eo quod clementer amplectetur popu-
lum suum & habitaculum suum.* 2. Chron. 36. 15. Iehova ipse
aīt: *Inde à tempore quo exiverunt majores vestri ē terra Egypti
usque*

*usque ad diem hunc, misi ad vos omnes servos meos prophetas quo-
tidie diluculo & indefinenter.* Ierem. 7. 25. Eapropter etiam
pastoribus piis Deus mandat, ut mox peccatores in viam
reducere satagant, neque tardent. Eliae Prophetæ edicit:
*Exclama gutture, ne cohibeto, tamquam buccina extolle vocem
tuam: & in dispopulo meo defectionem ipsorum, & domui Iacobæ
peccata ipsorum.* cap. 58. v. 1. Et Paulus hortatur Timo-
theum: *Prædicta sermonem illum, in ista tempestivè, intempe-
stive, argue, objurga: exhortare cum omni ira cohibitione & doctri-
næ. 2. Tim. 4. v. 2.*

III. Denique fideliter & indefesso studio ovem errantem
querit Christus. Nam *profetus in montem, querit eam qua-
erraverat*. Molestem est per montes iterfacere, & cum sum-
mo periculo conjunctum, tum ob metum lapsus, tum ob
vias invias & præcipites, tum ob feras & latrones, qui via-
toribus in desertis locis ac montibus insidiari solent. Ideo
& hoc in parte miseriae piorum deputatur, quod errant in
desertis, & montibus ac speluncis, & cavernis terræ. Hebt. 11.
38. Ait his periculis neglectis, pastor fidelis in montibus &
desertis ovem suam perditam quærit. Ut & huc non in-
conciinniter applicari possit illud Pastoris nostri pronuncia-
tum: *Sorvitute premis me propter peccata tua, fatigas me ini-
quitatibus tuis.* Elai. 43. 24. Nullatenus refugit molestem,
periculum nullum extimescit, nullum hostem reformidat,
tantummodo ut ovinam suam perditam requirat & inven-
tiari. Diabolo obsistit, qui cribrare pios ut triticum discipit;
etique Petrum seductum & errantem erupit. Luc. 22. 31.
Mandatum non curat, qui malis exemplis oves ab ipso aver-
tit. *Confidite, inquit, ego vici mundum.* Ioan. 16. 33. Carnem
nostrâ corruptâ & seductricē subigit, & omnem cogitationem
in captivitatem redigit ad sibi obediendum. 2. Cor. 10. 5. Petrum
errantem quæsivit & invenit in irruforum ac impiorum mi-
nistrorum coetu. Matth. 26. Vete ergo dictum à cœlesti
R. Pasto-

C O N C I O Q U A R T A

Pastore: *Ego pascam gregem meum: & ego faciam ut recubent, dictum Domini Iehovi. Pereuntem requirem, & depulsam redi- eam fractamque obligabo, & agrotam confirmabo.* Ezech. 34.
v. 15. 16.

Ulus I. ad διδαχαντα.

Tanta Christi, Pastoris animarum, clementia est, ut ne minimam quidem oviculam errantem perire sustineat. Leones feroce, lœvos ursos, lues lutulentos, hircos fætidos, canes mordaces, lupos rapaces, vulpes astutas deserit & negligit, nunquam eos novit. Matth. 7. 23. His thesauros gratiae & panem vitae non vult objici. Exprimam ipsius verbis: *Ne date quod sanctum est canibus, nec proiecite margaritas vestras coram porcis: ne quando concutient eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.* Matth. 7. 6. Non est honum accipere panem liborum & objicere catellis. Ibid. cap. 15. 26. Ad hos reducendos non est missus, sed ad quærendas oves perditas domus Israëlis, h. e. Ecclesiæ ac populi sui. Matth. 15. 24. Harum salus in tuto est: non peribunt in eternum: neque rapiet eas quisquam è manu ejus. Ioan. 10. 28. Requisivit Davidem, qui erraverat ut pecus que perit, dum errat à grege. Psal. 119. 176. Hoc suum studium exprimit, dicens: *Ecce, sto ad istum, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediatur ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Apoc. 3. 20. Semper præsens est, ut conversionem ac salutem nostram promoveat. Haud id ignorant Sponsæ, Ecclesiæ: *Similis, inquit, dilectus meus capree, aut binnulo cervorum; ecce istum stan- tem post parietem nostrum, prospicientem è fenestrâ, emicantem ex clatrâ.* Cantic. 2. 9. Terrenis pastoriibus saepe vires de- sunt, quominus oves perditas persequi, juvare & reducere possint. Nostro Pastori nihil est impossibile. Luc. 1. 37. *Data ipsi est omnis potestas in celis & in terra.* Matth. 28, verf. 18.

Signa-

Signat̄ Ioannes: *Potentior est qui est in vobis, quam qui in mun- do est.* 1. Epist. 4. 4. Illi somno obruti, ovem perditam per- sequi & requirere nequeunt. De Pastore cœlesti David, canit: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, custos Israëlis. Iehova custos tuus est. Iehova umbra tua est: ad manum dexteram tuam nissitit.* Psal. 121. 4. 5. Illi nesciunt, ubi vagentur oves, & ubi quærere ac invenire eas debeant. Non ita Pastor noster. An Deus è propinquo sum ego? dictum Iehovæ; ac non Deus è longin- quo? Andelitescere potest quisquam in latebris, ut ego non videam ipsum? dictum Iehovæ: annon cœlos & terram ego impleo? dictum Iehovæ. Ierem. 23. 23. 24. Conspicua valde in hanc rem sunt verba Davidis: *Quid irem à spiritu tuo? & quid à facie tua fugerem? Si scanderem cœlos, illuc es: aut stratum ponerem in inferno, ecce ades. Si affumerem alas auroræ, & habitarem in extremitate maris: etiam illuc manus tua deduceret me, & te- neret me dextera tua.* Sin autem dicerem, utique tenebre velut crepusculo obvolvent me: atqui nox lux est circa me. Ne tenebrae quidem ita obtenebrare possunt, quin tu pervideas: sed nox ut dies lucet, perinde sunt tenebrae atque lux. Pl. 139. 7. — 12. Terreni pastores saepe periculū metuunt, quominus errantem ovem quærant: Christus per montes, deserta, dumeta, senticeta currit, donec amissam ovem inveniat. Inde Sponsa, Ecclesia: *Vox, inquit, dilecti mei est, ecce illū advenit, saliens super istos col- les.* Cantic. 2. 8. Nullus tentationum & afflictionū mons tam est sublimis, nulla vepræ tam perplexa, que non transiliat & transeat, ut erraticæ ovis saluti consulat, eamque reducat. Illi saepe tanti ovem amissam non faciunt, ut pedem propter eam loco mouere velint. Noster Pastor oves suas, quas non nisi pretioso suo sanguine fuso emere & redimere quivit, tanti estimat, ut perruptis omnibus repagulis, cunctisq; ob- staculis remotis & victis, quieti se dare non sustineat, tantis- per dum palantes & dispersas congregarit, & in tuto col- locarit.

CONCIO QUARTA

Si quæras : Quomodo Christus oviculam amissam & errantem querat atque reducat ? Responsio in promptu est: Quemadmodum pastor terrenus ovem perditam vocat, allectat, baculo pastorali tardantem propellit & urget, glibet el terræ particulâ percutit, imò & reluctantem cornibus trahit & protrudit : Ita Pastor coelestis varia adhibet media, ut ovem errantem inveniat & ad gregem reducat: inter quæ excellunt vox viva , facta efficacia , & placidus Spiritus sancti tractus . 1. Vox duplex est , uera Legis , altera Euangelii. Lege Pastor perditis & errantibus ovibus erroris turpitudinem & peccatorum atrocitatem ob oculos statuit, pœnasque æternas , nisi mature revertantur, interminatur. Per Legem enim est agnitus peccati, teste Paulo Rom. 3. 20. Ita reductus est David: Nam Nathan Propheta à Deo missus, propositâ Davidi parabolâ de agna una parva pauperi per vim à divite erepta, quid juris esset expiscatus, eum ad homicidii & adulterii conscientiam revocavit, ac hanc, feriæ resipiscentiæ indicem, vocem ei expressit: Peccavi Iehovæ. 2. Sam. 12. 13. Hinc nata illa, commemoratiōne & laude dignissima, ejusdem sententia. Percutiat me iustus, beneficium erit, & corripiat me, id erit unguentum prestantissimum: ne prohibeat illud à capite meo. Nam quod amplius id fecerit, ed amplius oratio mea erit in malis eorum. Psal. 141. 5. Tunc autem avidis arrestisque auribus vocem Legis oviculae errantes audiunt , ubi illa temperata est & comitata suavissimâ atque consolatoriâ voce Euangely , quâ erroris & transgressionum omnium venia , & omnigenæ benedictiones promittuntur. Paralyticum exhilarat Pastor noster dulcisonâ illâ voce: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. Match. 9. 2. Huc pertinet suavis illa & liberalis ejus invitatio: Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerate, & ego faciliter requiescatis. Ibid. cap. 11. 28. A quâ minime divulganda flexanima isthæc & sancto jurejurando obfignata

Dei.

Dei promissio: Ne vivam ego, dictum Domini Iehovi , si delector morte improbi ; sed delector quum revertitur improbus à via sua, ut vivat: revertimini, revertimini à viis vestris pessimis: cur enim moreremini domus Iraëlis? Ezech. 33. 11. Næ illa Christi charitas constringit oviculas errantes, 2. Cor. 5. 14. ut redenant gemebundæ dicentes cum Davide : Si iniquitates observaveris, Iah: Domine, quis poterit confistere ? Nam apud te est condonatio: ut timearis. Psal. 103. 3. 4.

2. Facta duo Christus voci jungit. 1. Oves errantes saepè ingentibus variisque cumulat beneficiis, atque ita (ut phrasî sancti Spiritus utar) carbones ignis in capitâ eorum conservat. Rom. 13. 20. Tudem eas summae ingratisudinis , & turpissimæ fugæ à tam benefico & longanimi Pastore. Atque hoc fine Deus eis exprobrat ingratum animum, ac beneficiorum suorum cumulum in memoriam revocat: An estis Iehovæ repensuri istud, popule stulte & insipientes? nonne ipse est Pater tuus, redemptor tuus? nonne ipse magnificavit te, & confirmavit te? Deut. 32. 6. Popule mi, quid feci tibi? & quo fatigavite? testificare contra me. Quum educens te è terra Egypti , è domo servorum redemisse te: & præmissem tibi Moschen, Aharonem & Mirjamum, &c. Mich. 6. 3. 4. Hac patris sui misericordia, occursum, & beneficentiâ stimulatus & motus filius prodigus, exclamat: Pater, peccavi in calum & in tuo conspectu, ne quis dignus sum amplius vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis. Luc. 15. v. 19. 21. 2. Christus errantes oviculas, cruce immissa, castigat, ut redire ad cœlum cogantur. Hoc suum consilium ipse aperit, inquiens: Abiens revertar in locum meum, donec reos peragant se, & querant faciem meam, quum angustia fuerit ipsis, querent me diluculo, dicentes: Agite, revertamur ad Iehovam. nam ipse rapuit & curaturus est nos: peroussit & obligaturus est nos. Hof. 5. 15. & cap. 6. v. 1. Exempla loquuntur. Deviabant Iraëlitæ, per obmurmurationem aliasque horrenda scelera, à Deo. at morsi à serpentibus, ad se redie-

R. 3.

redierunt, & venientes ad Molem dixerunt: *Peccavimus quod loquuti sumus contra Iehovam & contrate: ora Iehovam ut amo- veat à nobis hos serpentes.* Numer. 21. 7. Tale quid Scriptura commemorat de Iosephi fratribus, quod auditâ durissimâ conditione de novem ex se retinendis & in custodiam intrudendis, conscientia sceleris in fratrem admissi excitata, pœnitentiam & justi judicij Dei confessionem hanc eis extorserit: *In rei sumus de fratre nostro, qui videbamus angustiam animæ ejus quem deprecaretur nos, nec tamen auscultavimus: ideo angustia haec obvenit nobis.* Et respondebat eis Ruben, dicendo, nenne alloquebar vos dicens, ne peccetis in istum adolescentem? sed non auscultatis: ideo etiam sanguis ejus ecce reposcitur. Gen. 42. 21. 22. Sic virginæ castigationis & persecutionis Davi- dem à viis suis exorbitantem Deus in ordinem rededit atque reduxit. Ipse David agnoscit: *Antequam affligerer, errabam: nunc autem sermonem tuum observo.* Bonum mihi est quod afflictus sum: ut discerem statuta tua. Psal. 119. 67. 71. Et triduanâ pe- ste in populum læviente, conscientiâ ambitionis, quâ in po- puli numeratione se obstrinxerat, stimulatus & depressus, humiliiter alloquitus Iehovam, dixit: *Ecce ego peccavi, & ego iniquè feci; hi autem, haec oves quid fecerunt? sit, queso, manus tua contra me & contra domum paternam meam.* 2. Sam. 24. 17. De Menasche quoque, qui pessimè se in regno gesserat, scri- ptum extat: *Quam ob rem adduxit Iehova contra eos principes exercitus qui erant regi Assyrie, & ceperunt Menaschem in spinis quibusdam: quem vincentes chalybeis duobus vinculis deduxerunt Babylonem: ubi quum angustia afficeret eum, depresso est faciem Iehovæ Dei sui; depressoque se valde coram Deo majorum suorum.* 2. Chron. 33. 11. 12.

3. Verum enim verò, nec voce Legis & Evangelii forin- secus insonante, nec solis illis salutaribus factis, in viam & ad gregem oviculae perditæ & errantes reduci possent, nisi efficax Spiritus sancti gratia & tractus accederet. Huc ten- dit

sit illud Dei promissum: *Dabo vobis cor novum, & spiritum no- rum ponam in medio vestri, & amovens eorū lapideum è carne vestra, indam vobis cor carneum:* & *Spiritum meum ponam in n. edo ve- strique faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis facientes ea.* Ezech. 36. 26. 27. Hoc Spiritu mentes discipu- lorum errantium aperuit, ut inteligerent Scripturas. Luc. 24: 45. *Est enim Spiritus sanctus dux via Christi oviculis in o- minem veritatem.* Ioan. 16. 13. Nōrat id Sponsa Christi, eu- jus hoc est votum: *Trahi me per spiritum tuum post te, eurre- mus.* Cantic. 1. 4. His merito subiectimus illa Pauli: *Quot- quot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Et, *Spiritus unius sub- levat infirmitates nostras.* Rom. 8. 14. 26.

Ulus II. ad παροκλησιν.

Conscientiâ aberrationis & peccatorum exterriti atque dejecti, animum ne despondeamus, neu desperemus. Neque enim Christus, Pastormile ricordissimus, ovem amissam præcipitem in exitium ruere finet. Hanc fallit promis- sum divinum: *Arundinem quaffatam non franget, & ellichniam ipsum fumigans non extinguet.* Elai. 42. 3. *Venit Filius homi- nis ut servet quod perierat.* Matth. 18. 11. Scopo adventus sui non excidit. Optimè id sibi applicare nōrat Paulus: *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiuntur: Christum Iesum venisse in mundum ut peccatores servaret, quorum primus sum ego.* Verum ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem iræ suæ cohibitionem, ut essem exemplar er- edituris in eum ad vitam aeternam. 1. Tim. 1. v. 15. 16. Errasti ut ovicula? Ille te natus impositum in humeros ad gregem repor- tabit. Luc. 15. 5. Quotidie in peccata relaberis, novoque errore deciperis? Non finiuntur miserationes ejus, novæ sunt fini- gulis matutinis. Thren. 3. 2. 2. 3. Enormiter peccasti, diutius longiusq; errasti? Cogita illud: *Vbi amplificatum est peccatum,* ibi

ibi superabundavit gratia. Rom. 5. 20. Cave dicas cum Caino: Major est iniurias meas, quam ut remittatur mihi. Gen. 4. 13. Inscribe in catalogo errorum ac peccatorum tuorum dic. Etiam Ioannis: *Sanguis Iesu Christi Filii Dei purificat nos ab omni peccato.* 1. Epist. 1. vers. 7. Noli hanc injuriam & ignominiam optimo tuo & misericordissimo pastori inferre, ut tua peccata pretiosissimo atque sufficientissimo ejus merito præponderare existimes. Ille abluere nos potest, ut prænive albescamus. Psal. 51. 9. Si fuerint peccata nostra velut dibapha, tamquam nix exalbescunt; si rubra fuerint velut coccineum, similia lance erunt. Esaï. 1. 18. Gloriatur misericordia ejus aduersus damnationem. Iac. 2. 13.

Ufus III. ad ~~rauidas~~ tergeminam.

I Rrantes, & quos perditos ducimus, ne contemnamus, neque de eorum conversione & salute desperemus. Christo enim curæ cordique sunt, qui eos tempore præstituto in veram viam reducturus est. Ratum, firmum, fixumque est illud Pastoris nostri: *Hec est voluntas ejus, qui misit me, id est, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Ioan. 6. v. 39. Istam in aliis damnandis temeritatem Paulus damnat, dicens: *Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio domino perstat aut cadit.* Stabilitur autem & potest enim Deus eum stabilire. Rom. 14. 4. Qui hodie à Christo non reducitur, cras reduci potest. Neque enim brevior est manus Iehova quam ut servet. Esaï. 59. 1. Qui ex Saulo, ut dicere vulgo solemus, Paulum, ex lupo agnum, in modo ovium pastorem, & ex persecutore fideli doctorem atque propagatorem fecit: 1. Tim. 1. 13. & seqq. itemque ex Zaccæo publicanorum magistro, filium Abrahæmi. Luc. 19. 2. 9. is utique oviculam amissam invenire, & errantem reducere potest. Vix quicquam est quod aperi-

fuis & vehementius charitatis legi repugnet, atque haec temeraria proximi condemnatio. Nam *charitas omnia tegit, omnia credit, omnia sperat: omnia sustinet.* 1. Cor. 13. 7. *Omnes defectiones obtegit charitas.* Prov. 10. 12.

II. Qui à via veritatis & pietatis aberrarunt, non sunt inhumaniter fugandi, abigendi, neu ex Ecclesia & caula ovium Christi mox exturbandi. In eam potius curam & cogitationem singuli incumbere debent, ut oves ex dispersione colligantur, & peccatores ad resipiscientiam adducantur. Legenda sunt vestigia Christi *ἀρχημένος*, qui ne unam quidem ex centum ovibus vult perditam, sed eam requirit & reducit. Lege olim Deus sanxerat: *Videns bovem fratris tui aut pecudem ejus devios, non occultabis te ab illis: sed omnino reducio eos ad fratrem tuum.* Quid si frater tuus non erit propinquus tibi, aut non nosces eum: tum recipies illum intra domum tuam, ut sit apud te donec querat frater tuus illum, & illum restituas ei. Et sic facito a sino ejus, sic etiam vestimento ejus: & sic facito omni re amissâ fratris tui, quam perierit ei & inveneris illum: non poteris te ipsum occultare. *Videns asinum fratris tui aut bovem ejus jacentes in aliqua via, non occultabis te ab eis: omnino erigo cum illo.* Deuter. 22. 1.—4. Hic cum Paulo quero: Num boves cura sunt Deo? An hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc scriptum est. 1. Cor. 9. 9. 10. Evidem præstantior ovibus & boibus homo est. Atque huc spectant mandata illa sacra, tum Christi, tum Apostolorum, Pauli & Iacobii. Christi est illud: *Si peccaverit in te frater tuus, ito, & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratre tuum.* Matth. 18. 15. Cui consonat isthuc Pauli: *Fratres, etiamsi preoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris.* Alij aliorum onera portate: & ita complete Legem Christi. Gal. 6. v. 1. 2. Ejusdem seminis & istud Iacobii est: *Fratres, si quis inter vos aberrabit*

C O N C I O Q U A R T A

aberrabit à veritate, & converterit eum quipiam, sciat eum qui averterit peccatorem ab errore viae suæ, servaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum. cap. 5. 19. 20. David, peccatorum & errorum gravissimorum veniam à Deo consecutus, hoc se voto obstringit: *Docebo transgressores vias tuas: ut peccatores ad te convertantur.* Psal. 51. v. 15. Atque ita quidem omnes pios erga errantes & lapsos affectos esse decet: sed nominatim ac præcipue populi pastores. Ideoque Petrus speciatim illud serio inculcat magnus ille ovium Pastor: *Tu aliquando quum te converteris, stabili fratres tuos.* Luc. 22. 32. Moveat eos uberrimum Dei promissum: *Erudientes splendebunt quasi splendore expansi;* & justificantes multos, ut stella, in sempiterna secula. Dan. 12. 3. Qui non fecerint, experientur, irreparabili suo damno, veritatem comminationum divinarum: *Fili hominis, speculatorum dedi- te domui Israëlis;* ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos à me. *Quum dixero improbo, utique moriturus es;* tu autem non admonueris eum, neque alloquutus fueris, ut admoneas improbum revocans à via ejus improbissima, ut serves eum: *iste improbus in sua iniustitate morietur,* & tu animam tuam eripueris. Et paulò post: *Si avertatur justus à justitia sua,* & faciat iniquitatem, me disponente offendiculum coram eo, morietur ille: *quum non admonue- ris eum, in peccato suo morietur,* neque recordationi erant omnia iusta ejus opera qua fecerit, sed sanguinem ejus è manu tua reproscam. Ezech. 3. 2. 3. 5. Fuit verbum Iehovæ ad me, dicendo: *Fili hominis, propheta contra pastores Israëlis:* propheta dicens istis, *pastoribus ipsis,* sic ait Dominus Iehovi, vñ pastoribus Israëlis qui erant pasturi ipsis, annon grex est que n̄ pascunt pastores? *Adi- pem comeditis,* & lanam induitis, *quod optimum est mactatis:* gregem non pascitis. Morbo affectus non confirmatis, agrotamque non curatis, & confractam non obligatis, ac depulsam non reducatis, pereuntemque non requiritis: sed vi dominamini in eas, & per facitiam: adē ut dispergantur destituta pastore, & sint cibœ omni-

bus.

IN MATT. XVIII. V. 12.

139

bus bestiis agri dispersæ: deerent oves mee in omnibus montibus, & super omnem collem extelsum; *demique in superficie totius terræ dispersæ sint oves gregis mei, nemine reposcente & nemine requiren- te. Idcirco, & pastores, audite verbum Iehovæ: Ne vivam ego, di- dum Domini Iehovæ, nisi sed quod est grex meus direptioni,* & sunt oves gregis mei cibo omnibus bestiis agri, destituta pastore, *& non re- poscentibus pastoribus meis gregem meum: pascunt enim pastores seipsoſ, gregem autem meum non pascunt.) Idcirco, & pastores, audite verbum Iehovæ: Sic ait Dominus Iehovi, ecce me contra istos pasto- res, ut reposcā gregem meum è manu ipsorum, & faciam ut cessent à pascendo grege, ut non pascant amplius isti pastores seipsoſ: eri- piām enim gregem meum ex ore ipsorum, ut non sint oves illis cibo,* Ibid. cap. 34. 1—10. Qndū si duo viatores cādem viā iter- facientes in puteum vel foveam inciderent, alter verò subito ex ea evaderet, & locio deserto abiret, annon merito inhu- manus ille & immisericors audiret? Atqui nos omnes eo- dem in justitiae luto immersi fuimus: Deus verò, exeritā gra- tiā manu, nōs extraxit: quicunque ergo manum à proximo retrahunt, omnem beneficij acceptimemoriam se deposu- isse, satis arguunt.

III. Quæſiti à Christo, ne simus pertinaces in errore, nec gratia Dei relucentur; sed pastorem reducentem mox sequamur. Sit idem nostrum, quod olim Davidis, votum: *Erro ut parva petus quæ perit, require servum tuum.* Psal. 119. 176. Quære me, Domine, quia te per gratiam tuam requiro. Potes invenire, quem tu requiris: dignare ſuſcipere, quem invenieris: impone humeris, quem ſuſcepereis. non est tibi proprium onus fastidio. Idque eo magis est necessarium, quia nemo errores suos intelligit. Psal. 19. v. 13. Libenter ergo reduci se patiatur, verè ut ingeminare cū Eſaia Propheta pol- fit: *Dominus Iehovi aperit mihi aurem,* & ego non rebello; retror- sum non avertō me. cap. 1. o. 5. Sed defino, & Concionem vo- to Paulino, quod extat Hebr. 13. 20. 21. obsigno: *Deus pacis,*

S 2

pacis, qui magnum illum ovium, per sanguinem patiti aeterni Pastorem, Dominum nostrum Iesum, ex mortuis reduxit, compingat nos ad omne opus bonum, ad praestandam ipsius voluntatem, efficiens in nobis quod gratum sit in conspectu suo, per Iesum Christum: cui sit gloria in secula seculorum. A M E N.

CONCIO QUINTA

I N

M A T T H. XVIII. vers. 13.

Et si acciderit ut inveniat eam; amen dico vobis, quod super eam gaudet magis, quam super illas nonaginta novem, que non erraverint.



Oses, primus ille mundi naescensis Historicus, Dei Propheta illustris, & Dux populi Israelitici fortissimus juxta atque prudentissimus, ex consideratione ac enarratione infinitorum, quibus Deus Pastor & Servator noster Ecclesiam suam prosequitur, beneficiorum, in admirationem raptus, exclamat: *Etiam valde diligis populos!* Deuter. 33. 3. Nam fortis ut mors est amor Christi erga electos. Cantic. 8. 6. Imo morte fortior est. Terrenos conjuges, quibus vix ulli homines amore & concordia conjunctiores sunt, mors temporalis divelli tur. De Christi erga Ecclesiam & quamlibet fidelem

IN MATTH. XVIII. vers. 13.

fidelem animam amore Paulus: *Mibi, inquit, persuasum est neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque presentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare a charitate Dei quem est in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 8. vers. 38. 39. Quid? quod mortem optant pii, ut arctius Christo Sponto suo jungantur. Diserte Paulus: *Desiderio tendo ad dimissionem, & ut cum Christo sim.* Philip. 1. v. 23. Amor terrenus, quo familiarissime se matuus homines complectuntur, levissimam de causa cum odio capitali commutatur. Adambat Amnon sororem suam Thamarum, ita ut incesto atque fædo amore languens eam invitum compresserit: sed mox amor iste in rædium, atque odium versus est. I estis historia sacra: *Deinde odit eam Amnon odio magno valde.* majus enim erat odium quo odit eam, quam amor quo degenerat eam. 2. Sam. 13. 15. Christus, uti essentiâ, sic affectu, voluntate, & amore erga suos immutabilis est. Inde est illud Ioannis: *Quum Jesus dilexisset suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.* cap. 13. 1. Omnia clarissime id ipse coelestis Amator docet, dicens: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in iuribus meis non ambulaverint: Si statuta mea profanaverint, & præcepta mea non observaverint: tum visitabo virgâ transgressionem eorum, & plagiis iniuriam eorum.* Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam: non profanabo fedus meum, & pronunciatum labiorum meorum non mutabo. Psal. 89. 31—35. Amor hic ignis est & flamma semper ardens, quam aquæ nullæ extinguere possunt. Exprimant Salomonis verbis: *Prunæ amoris prunæ sunt ignis, flammæque divinae.* Aquæ multæ non possent extinguere hunc amorem, ne fluminæ quidem inundarent eum, si daret quis totam substantiam domus sue pro hoc amore, planè contemneretur. Cantic. 8. 7. Hujus immensi & æterni amoris Christi, coelestis Pastoris, erga oviculas suas manifesta signa, luculentaque & indubitate

testimonia habemus in solicitâ illâ & assiduâ curâ , quam pro eis gerit. Ex intimo & gratuito amore Filius Dei unum cum Patre suo & Spiritu sancto oves suas ante jactum mundi fundamentum elegit. Ideo discipulis suis dicit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioan. 15. 16. Ex mero amore oves ab æterno sibi datas pretioso suo sanguine emit & redemit. *Ego, inquit, animam meam depono pro ovibus.* Ibid. cap. 10. 11. Ex ardentissimo amore oves errantes & lapsas non deserit, sed oculo vigilante observat, & à sempiterno exitio liberat atque custodit. Ex singulari amore oves perditas quærerit & invenit, vulneratas sanat , infirmas confirmat, confractas obligat. Denique ex summo amore oves inventas ad gemmam reducit , deque earum conversione ex animo latatur. Id quod impræsentiarum explanabimus, differtur.

I. De ove errante à coelesti Pastore inventâ:

II. De gaudio super ove inventâ.

Tu, fidissime Pastor Christe Iesu, pascito nos verbo & Spiritu tuo, atque ab omni errore in viam veritatis reducito. *A M E N.*

I. OVIS INVENTA.

Verbis Christi, quæ huc faciunt, ita lonant : *Et si acciderit ut inveniat illam.* Nimirum non cessat nec quiescit benignissimus & vigilantissimus Pastor, donec ovem amissam invenerit. Humano autem more dicit, *Et si acciderit ut inventia illam.* Sæpe enim fit, ut pastor terrenus ovem errantem & amissam non inveniat: vel quia ea, quâ par est, diligentiam & studio illam non querit: vel quia nimis diu & longè aberravit ovis, ut eam persequi nequeat: vel quia in vepribus hæret, inque montibus, desertis & abditis locis vagatur, ut inventire eam haud possit: vel quia errans in aquam ruit & sub

submersa est , aut à lupis discerpta, aut à furibus intercepta atque abacta: vel quia à feris & latronibus , à quibus viæ obfessæ sunt , pastor sibi metuit : vel quia tanti oviculam non facit , ut propter eam molestiam & pericula itineris subire velit: vel quia metuit, ut reliquæ oviculæ, interim dum ipse amissæ quærendæ intentus est, dispergantur, & damni quid patientur: vel quia ovicula aliquoties amissa & reducta, idem tidem à grege aberrat, ut pastorem toties iterari quæsitus & reductionis tædeat. Haec & similia sæpe obstant, quominus pastor ovem perditam inveniat. Ast quamcumque errantem ovem Pastor cœlestis ferid quærerit, eam certè, infallibiliter, & indubitate invenit. Stat enim illud Davidis: *Deus noster in cœlo est: quicquid placet, facit.* Psal. 115. 3. Cui adjungi meretur Pauli istud: *Voluntati ejus quis obfit?* Rom. 9. verf. 19. Diligentiam ejus studiumque in quærenda ove amissâ si spectes, non cessat donec eam invenerit. Nullum desertum scabrum adeò asperumque est, nulli tamen alti & præcipites montes, nulla tamen longa & molesta via, quæ omnina ille non supereret. *Fidelis enim est ei qui ipsum constituit pastorem ovium.* Heb. 3. 2. Ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israëlis.* Matth. 15. 24. Et qui labori parceret is, ut ovem amissam inveniat ac recuperet, qui ad morte pro ea acquirenda laboravit ? Sollicitâ isthac diligentia studioque indefesso adhibito, invenit Davidem regem, qui diu longeque à grege per adulterium & homicidium aberrarat. Nam & tribunal in conscientia ejus erexit, feeditatemque peccati subinde ob oculos ei poluit: Nathanis Prophetæ ministerio ex peccati vetero eum expergefecit: denunciatione obitus filiorum, variorumque malorum, regno & domui ejus impendentium, cor ejus emolliit: exprobratione beneficiorum, quibus immerentem cumulaverat, ruborem ei incussit : ac ipse veniae ad caulam reduxit. 2. Sam. 11. & 12. cap. Nec viæ longitudine , neu aberrationis diuturni-

C O N C I O Q U I N T A

tate absterretur Pastor noster, quominus ovem amissam querat, & inventam reducat. *Expandit manus suas toto die ad populum rebellem; qui ambulant in via non bona, sequendo cogitationes suas.* Elai. 65. 2. In eo exultat Ecclesia afflita: *Summa benignitas est Iehovae quod non sumus absunti, quod non sumuntur miserationes ejus, novae sunt singulis matutinis, amplissima fides tua.* Thren. 3. 22. 23. Quot itinera, conversatio- nis suæ in his terris tempore, suscepit & perfecit, tantum ut miseras suas & palantes ovinas inveniret atque reduceret? Petrum audi: *Iesus ille obsumbavit, beneficis afficiens & sanans omnes sub Diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo.* Act. 10. 38. Quàm longè atque periculosè Petrus ipse ab- errarat? attamen inventus est. Iacebat David in peccatorum foribus, imò per integrum ferè annum coeno adulterii & homicidii immersus fuerat, nihilominus præ nive albuit. Psal. 51. 9. Salomon ex consortio idololatrarum extractus, mun- di vanitatem & errorum atrocitatem detestatus est. Porro non possunt ita se oves errantes abscondere, neque tam lon- gè latéque per montes, deserta, & abdita loca vagari, quin Pastor coelestis eas indaget & inveniat. Est enim omniscius & omnipræfens. *Oculi ejus sunt ut flamma ignis.* Apoc. 1. 14. Acies oculorum ejus ad loca deserta, ad montes, ad tene- bras densissimas, imò ad corda, renes & cogitationes ho- minum penetrat. Claret David: *Ne tenebra quidem ita obtene- brare possunt, quin tu pervideas: sed nox ut dies luce t, perinde sunt tenebrae atque lux.* Psal. 139. 12. Quibus congruenter filius e- jus Salomon: *Coram oculis Iehovæ vite cuiusque sunt, & omnes orbitas ejus expendit.* Prov. 5. 21. Rursus: *In omni loca oculi Iehovæ sunt, speculantes malos & bonos.* Ibid. cap. 15. 3. Ab- sconderat se Adam lapsus & uxor ejus à facie Iehovæ Dei inter ar- bores horti; sed deprehendit eos Deus, atque in regiam salu- tis viam reduxit. Gen. 3. v. 8. Ita errabundum se, & errores suos celantem atque excusantem, inuentum à Deo restatur David:

David: *Quum silerem, inquit, inveterascebant ossa mea: etiam in rugitu meo, toto die. Nam interdiu & noctu gravis erat super me manus tua: convertebatur præstantissimus humor meus in foci- tates astivas. Postea peccatum meum notum faciebam tibi, & ini- quitatem meam non tegebam: dicebam, Confitebor de transgressi- onibus meis Iehove: tunc tu abstulisti iniquitatem peccati mei.* Psal. 32. 3. 4. 5. Petrum quoque, qui societate improbo- rum se implicaverat, flammeis suis oculis intuitus est Chri- stus, atque ita radiis eorum ad cor ejus penetravit, ut de- derto isto confortio foras egressus sit, & amarè flens ad gregem redierit. Luc. 22. 61. 62. Adhæc neque à lupis rapacibus, nec à furibus & latronibus astutis ac validis, ullisve periculis impediri cœlestis Pater potest, quominus perditam suam ovem inveniat. Quod ovibus suis ille promisit, id fixum est: *Non peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manus mea.* Ioan. 10. 28. Nōrat id Paulus; ideo tantâ fiduciâ ani- mique lætitia triumphum hunc de omnibus hostibus agit: *Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio, num angustia, num persecutio, num famæ, num nuditas, num periculum, num gla- dius?* (Sicut scriptum est, *Tu causa occidimur totum diem: re- putati sumus velut oves destinatae mortationi*) Imò in his onni- bus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Rom. 8. 35. 36. 37. Petrum eripuit ex faucibus & cribro Satana. Luc. 22. 31. Augustinum à Manichæis seductum, in ovile suum reductum, incomparabile in Ecclesiæ Doctorem, & invictum propugnatorem fecit. De quo verè non - nemio: *Quid habet orbis Christianus hoc scriptore vel magis aureum vel augustius?* ut ipsa vocabula nequaquam fortuita, sed Numinis providentia videantur indita Viro. Auro sapientiae nibil pretiosius: fulgore eloquentiae cum sapientia conjuncte nihil mirabilius. Sunt alii alia doles, prout uisum est mihi dæderis Spiritui, qui pro suo arbitratu partitur singulis iusta mensuram fidei. In Abba- casio suscipimus seriam ac sedulam docendi perspicuitatem. In Bo- silio

filiō præter subtilitatem exosculamur piam ac mitem suaviloquen-
tiam. In hujus sodali Chrysostomo sponte profluentem orationis co-
dignum. In Cypriano spiritum veneramur, martyrio
atque, ut ita loquar, coturnum admiramur. In Ambroſio dulces
Hieronymo divitem Scripturarum penum, optimo jure laudamus.
In Gregorio peram nulloque fuso picturam sanctimoniam agno-
scimus. In Augustino omnia: quæsi voluerit opulentus ille Spiritus
juxta ac benignus in una tabula vividum quoddam exemplar Epi-
scopi repræsentare, omnibus virtutum numeris absolutum. Hæc
meretricum, ac ex confortio combibonum pastor hic eruit;
Luc. 15. Nec est cur sibi ab hostium potentia metuat Pa-
stor noster. Utique potenter est qui est in nobis, quæm qui in
mundo est. 1. Joan. 4. 4. Perrumpere omnia obſtacula potest:
meritò ut effractor & perruptor audiat. Mich. 2. 13. Diabolo,
antiquo illi Serpenti, caput contrivit: Gen. 3. 15. mundum vi-
cit: Ioan. 16. 33. in medio inimicorum suorum dominatur. Pſal.
110. 2. Tantus insuper tamque fidus & ardens Pastoris hu-
jus erga oves suas amor est, ut permagno eás æstimet, ac per-
niciem ab eis depellat. Agnoscite verba ejus: *An filius cha-
rus mihi est Ephraim? an natus summa oblectationis? est. nam
ex quo loquutus sum contra eum, omnino recordor ejus adhuc: id
circo perstrepunt visceramea proptereum, omnino miserebor ejus,
dictum Iehovæ. Jerem. 31. 20.* Quibus addo illud ejusdem:
*Quomodo exponerem te, ô Ephraim? dederem te, ô Israël? quo-
modo disponentem te ut Admam? ponerem te ut Tzebojima? se-
versat in me animus meus, simul æſtuant visceræ meæ pænitentia.
Non perficiam æſtum iræ meæ, non perdam amplius Ephraimum:
quia Deus fortis sum, ac non vir, in medio tuus sanctus, non autem
invasurus civitatem. Hof. 11. 8. 9.* Humano more Deus lo-
quitur, ac tantundem dicit: In dubio est animus, incertus

Imma

sum quid agam, quum hinc atrocitas peccatorum vestrorum
me ad supplicium sumendum provocet; inde paternus me-
us amor & misericordia ad sustinenda & inhibenda judicia
compellat, gratiamque meam in Christo explicandam: de-
nique quum certet virtus misericordiae meæ cum vitiositate
veltra, & me tanquam Patrem optimum filios castigantem
ad faciendam gratiam flectat. Fecit hic amor, ut Pastor ipse
mortem obire maluerit, quæmut oves perirent. Atqui si
quum inimicis essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus;
multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. Rom. 5.
10. Redemit oves pretioso suo sanguine. 1. Petr. 1. 19. Equi-
dem non vult perditas, quæ ipsi tamen carè constant. Tan-
dem non deserit Christus ovem amissam, etiam si saepius illa
aberraverit. Qui iussit nos usque septuagesies septies remittere
fratri peccanti in nos: Matth. 18. 22. durior ipsis in oves suas
errantes minimè est futurus. Vbi amplificatum est peccatum,
ibi superabundavit gratia. Rom. 5. 20. Saepius aberravit Pe-
trus, quem erroris immunem jactant Pontificii. Etenim ter
Dominum suum & Pastorem abnegavit. Matth. 26. videns
Christum super mare ambulare, curiositate se & dubitatione
obstrinxit. Matth. 14. v. 25. & seqq. ex intempestivo Zelo
Christi passionem & mortem dissuasit. Ibid. cap. 16. 22. 23.
stalte & præpostore tabernacula in monte Thabor facete
voluit. Ibid. cap. 17. 4. ambitiore cum condiscipulis de
primatu contendit. Ibid. c. 18. 1. remissionem peccatorum
ad numerum septenarium restrinxit. Ibid. vers. 21. carnalia
præmia somniavit. Ibid. cap. 19. 27. pravâ peccavit devo-
tione, nolens pedum lotionem admittre. Ioan. 13. 6. men-
dicari Christum de sui abnegatione ipsum monente ar-
guit. Matt. 26. 33. iussus vigilare in horto obdormivit. Marc.
14. v. 34. 37. contra Christi interdictum distinxit gladium
suum, & Malcho abstulit auriculam. Matth. 26. 51. Domi-
no suo capto, turpiter fugit. Ibid. vers. 56. Christum à mor-
teis

ruis resurrexisse non credidit: Marc. 16. v. 11. curiosè de futuro Ioannis statu quærendo, lapsus est. Ioan. 21. v. 21. 22. denique non incessit recto pede Antiochiae. Gal. 2. 11. & seqq. Attamen quavis vice à Christo quæfitus, inventus atque reductus fuit. Die amabo, quoties Christus M E, T E, nos omnes, errantes & lapsos, in gratiam recepit.

Uſus I. ad ἀδαμαλταν.

ELectæ Christi oves Dei gratiâ & æternâ salute non excludunt. Errare possunt, in errore mori non possunt. Labuntur; sed non rejiciuntur. Ex Davide hoc discere est: *Quum cadit justus, non deiicitur: quia Iehova sustentat manum ejus.* Psal. 37. 24. Obstat coelestis Pastoris cura, qui oves palantes & amissas invenit atque reducit. Dilucide ipse hoc exprimit, dicens: *Fieri non potest ut seducantur electi.* Matth. 24. 24. Non seducuntur finaliter; quia ante excessum ex hac vita resipiscunt, & redeunt ad Deum gemebundi, dicentes cum Davide: *Erro ut parva pecus quæ perit, require servum tuum.* Psal. 119. 176. Nec finaliter (fas sit vocibus his uti) seducuntur; quium *semen Dei in ipsis maneat.* 1. Ioan. 3. 9. Hyeme arbores emortuæ videntur, quippe foliis, floribus & fructibus destitutæ; at vere appropinquante, vita, quæ in radice conclusa delituerat, rufus se exerit. Ignis cineribus obiectus, extinctus videtur, remotis cineribus scintillæ apparent, è quibus ignis accendi potest. Homines terrenos doni in ingratum vel indignum collati pœnitere potest, ut illud reposcant. *At dona illa & illa vocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum ipsum panitere non possit.* Rom. 11. 29. Mihi, tibi, electis omnibus Deus obtulit dona gratiæ suæ, & efficaciter nos vocavit, flectendo corda nostra. Ergo nunquam Deum pœnitabit: adeoque fidem & gratiam Dei nunquam sic amitemus, ut in periculo salutis æternæ simus.

mus futuri. Omnipotens est Pastor noster, ut & errantes reducere, & demere illis mentis errores possit. Misericors est; ergo suos propter naevos & errores non est abjecturus. Dulcissime David: *Vt miseretur pater filiorum, sic miseretur Iehova timentium ipsum.* Nam ipse novit figuratum nostrum: *memor, pulvrem nos esse.* Psal. 103. 13. 14. Alibi, peccatis suis & erroribus ingemiscens, Deo dicit: *Si iniquitates obseruaveris, Iah: Domine, quis poterit confistere?* Nam apud te est condonatio. Psal. 103. 3. 4. Denique sapiens est; & omniscius; ut suos in rectam viam & ad gregem reducere possit. Unde Petrus: *Novit Dominus prius è tentatione eripere.* 2. Epist. 2. 9.

Uſus II. ad πρωγόνησις.

Solidam hinc nobis & efficacem consolationem Pastor coelestis suggerit contra dubitationem de perseverentia, ortam ex variis multisq; nostris lapsibus & aberrationibus. Non permittit Christus oves suas errori immori. Ergo, Petro monente, *omnem solicitudinem nostram in eum conjiciamus: nam illi cura est de nobis.* 1. Petr. 5. 7. Salus nostra, uti & nos ipso, non in nostris, sed in ipsis manibus est. Verè autem canit David: *Tibi brachium est cum potentia: robusta est manus tua, elata est dextera tua.* Psal. 89. 14. Hinc est illud Pastoris: *Nemo rapiet oves meas è manu mea.* Ioan. 10. 28. Cui adjungi potest istud Petri: *Virtutis Dei praedio custodi mini per fidem ad salutem.* 1. Epist. 1. 5. Hujus solatii constantia & soliditate fretus Paulus, nullatenus de sua in fide perseverantia, & certa stabilitate hæreditatis coelestis possesse dubitat. Loquuntur sententiae ejus: *Persuasum habeo hoc ipsum, fore ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.* Philip. 1. 6. Deus is est qui efficit in vobis. *Et ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.* Ibid. T. 3.

Ibid. cap. 2. 13. Et uberior: *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire.*
 2. Tim. 1. 12. Arctissimum est vinculum fidei, quā Christo copati sunt electi. *Per fidem Christus inhabitat in cordibus vestris;* inquit Apostolus. Eph. 3. 17. Huc etiam spectat illud Christi: *Qui edit meam carnem, & babit meum sanguinem,* h. e. qui in me credit, *in me manet, & ego in eo.* Ioan. 6. 56. Credentes omnes Christi sunt membra. 1. Cor. 12. 12. & ad complementum ejus pertinent. Eph. 1. 23. Christus autem nunquam suis volet carere membris, & mutilum mancum-
 ve habere corpus.

II. G A U D I U M S U P E R O V E I N V E N T A.

Gaudium Christus hisce verbis exprimit: *Amen dico vobis, quod super ea gaudet magis quam super illis nonaginta novem, quae non erraverunt.* Tria h̄ic nota.

I. Gaudii certitudinem:

II. Gaudium ipsum:

III. Gaudii magnitudinem.

I. Quod ad gaudii certitudinem; Christus consuetā asseveratione, quam jure juramentum dixeris, utitur: *Amen dico vobis, Ne quis existimet, fieri haud posse, ut tantopere Christus salute hominis perditī afficiatur: neque tanti effe faciendum hominem lapsum aberrantem, ut ad eum reducendum molestiam Servator subeat;* Christus, fortī asseveratiōne sanctoque jurejurando interposito, ostendit, se non tantū ovem perditam querere & invenire, sed etiam super unā perditā, eāque inventā, magis gaudere, quam super nonaginta novem, quae non aberraverunt. *Hec enim dicit Amen, testis ille fidei & verax, Apoc. 3. 14. in cuius ore nunquā inventus fuit dolus.* 1. Pet. 2. 22. cujus omnia & singula verba sunt iuramenta;

menta, quā ipissima sit veritas. Ioan. 14. 6. O misericordem Pastorem! qui fidem ovium suarum confirmatus atq; aucturus, fidem suam soleanni jurejurāndo alligat, easque de suo erga eas affectu, curā & amore certiores reddit. Fēlices nos, quorum causā ipse jurat! At & infelices, si ne juranti quidem credimus! Habuit hēc talia ante animi ocoulos Paulus quum diceret: *Quā in re Deus volens ex abundantia hāredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, si dejussit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus nos qui cursum eō corripuimus ut spem propositam retineamus.* Hebr. 6. v. 17. 18. Dei iuramenta fidei nostræ sunt firmamenta, quibus tutō innitimus. Si quis peccatorum atrocitate stimulatus, æternum exitium & condemnationem metuat; Dei se erigat & stet jurejurando: *Ne vivam ego, dictum Domini Iehovi, si delector morte improbi;* sed delector quum revertitur improbus à via sua ut vivat: *revertimini, revertimini à viis vestris pessimis;* cur enim moreremini domus Israelis? Ezech. 33. v. 11. Si quis inextricabilibus calamitatibus & malis immersus, exp̄ōn desperet; fiduciam in Deo libatore, & Christo, fortissimo suo Pastore, collocet, qui hoc se obstrinxit juramento: *Vt aque Noachi hōo mihi est, qui jurai non transituras aquas Noachi amplius super terram: sic juro fore ut non effervescam contra te, & non increpem te.* Quāvis hi montes recederent, & hī colles dimoverentur; attamen benignitas mea à te non recedet, & fedus pacis meae non dimovebitur, ait miserator tuus Iehova: *O afflita, procellis agitata, consolatione destituta: ecce ego collocatus sum cum ornamento lapides tuos, & fundatus te sapphiris.* Esai. 54. v. 9. 10. 11. Si quis preces suas irritas esse putet; Christi promisso, gemino juramento firmato, fidat: *Amen amen dico vobis, quæcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. v. 23. Si quem mortis terror exanimet; Christi se juramento sustentet: *Amen*

C O N C I O Q U I N T A

Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam eternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam. Ioan. 5. 24. Quanto gaudio perfusum existimatis Latronem conversum, quum vox illa Christi insonaret auribus ipsius: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradyso?* Luc. 23. 43. Nam quum omnes promissiones Dei in Christo sint Etiam & Amen; 2. Cor. 1. 20. iniquissimum foret & impiissimum, ipsis juranti fidem denegare. *Hominibus, teste Paulo, omnis controversia terminus, est iusjurandum ad confirmationem adhibitum.* Hebr. 6. 16. Cui consonat illud Legati Romanorum ad Cosroem, apud Procopium, lib. 2. Persic. *Iuramentum inter homines supremum ac fidissimum fidei pignus est.* Quidni ergo Deo promissa sua jurejurando per seipsum firmanti crederemus? Homines ipsis fide digni non sunt, sed necesse habent majorem aliquem testem in iuramentis adsciscere: & tamen creditur juratis. Quanto magis Deo auctoritate jurato credendum? Fecit Abrahamus, de quo Paulus: *Deus pollicitus Abrahamo, quum non posset per quemquam majorem jurare, juravit per seipsum, dicens, Certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.* Atq; ita patiente animo fretus, natus est promissionem. Hebr. 6. 13. 14. 15. Hujus credentium omnium Parris insistamus vestigiis, si demque nostram divinis promissis, sanctâ afflervatione & juramento stabilitis, superstruamus. Quād verò Dei iuramenta piis consolatoria, tām terribilia sunt impiis & contumacibus peccatoribus. *Æquè enim verax Deus est in combinationibus, atque in promissionibus suis.* Experti Israelitæ increduli in deserto, temerarij Dei tentatores, cor tuum ad omnes Dei exhortationes & comminationes obdurantes. *His puravit Deus in ira sua, dicens: Si ingressuri sunt in regnum meum, non ero Deus.* Psal. 95. 11. Minatur eis mortem in eterno, & à possessione Terræ promissæ exclusionem. Minarum certitudinem addito juramento insinuat. Et veritatem

tem comminationis sensere Iudæi circa quietem tūm terram, tūm coelestem. Terrenam; Prohibiti enim sunt, ne in eam ingredierentur. Quadraginta namque annorum decursu, qui ex Ægypto exierant (at quanto numero!) omnes ad unum, eo quod Deum tentassent, gladio, peste, aliisque plagiis absunti, perierunt, exceptis Iosuâ, Calebo &c. Ejeti rursus sunt ex illa quiete, postquam Deus peccatis ipsorum offensus, Hierosolymâ à Romanis vastatâ, Iudeos per totum Orbem dispersit, & ex quiete sua expulit. Per terrenâ quietem anagogicè adumbrata fuit cœlestis, Apostolo teste: quæ est quies illa beatitudinis in coelis, quies Dei & sanctorum Angelorum: atque adeò æternus ille Sabbatismus: ad quem non pervenerunt qui voci Dei fidem in Christum exigenti non obediverunt, eoque spreto æternæ illius requiei fructione exciderunt. Hebr. 4. Rursus, severissimam ultionem Deus apostatis, & humanis mediis confidentibus, denuncians: *Ne vivam, si expietur ista iniquitas vobis, donec moriamini, inquit Dominus Iehovi exercitum.* Esai. 22. 14. Et observatâ omnium ordinum malitia, Regum, principum, & populi, ita interminatur Deus: *Si non auscultaveritis verbis istis: per me juro, dictum Iehovæ, in vastitatemabituram esse domum hanc.* Nam sic ait Iehova de domo Regis Iehuæ, velut Gilhad tu mibi fueras, ut caput Libani: *mentiar, nisi disposuero te ut desertum, ut civitates non habitabiles.* Jeremi. 22. 5. 6. Itidem totum populum Iudaicum rebellem & ingratum de obsidione arctissima Hierosolymæ eventura, denique fame, cædibus, deportatione, & totius Gentis exitio certiore facturus: *Ne vivam ego, dictum Domini Iehovi, nisi eo quod sanctuarium meum impurificem omnibus rebus detestandis tuis; & rebus omnibus abominandis tuis;* ideo tuum ego succidam, ut non parcas oculus mens, tum etiam ego non utar clementia. Ezech. 5. 11.

II. *Gaudium ipsum colligitur ex istis verbis: Gaudet super ea, sc. ove perdita. Pastor bonus ovem inventam agresti*

C O N C T O I Q U I N T A

feritate terræ indignabundus non illidit: nec pugnis eam & calcibus ferit: nec lacerat, miseramque ad necem usque mulctat: sed ex animo super eam gaudet. Homines qui jacturam rei aliquujus fecerunt, de eam inventâ & recuperata vehementer gaudere solent: & quo res perditâ pretiosior est in p̄fisque charior, eo majus est gaudium. Sic Christus incredibiliter lætatur de conversione peccatorum: id quod tripli parabolâ illustrat, videlicet gaudio pastoris, ob ovem receptam; mulieris; ob drachmam recuperatam; & patris, ob filium prodigum reducem. Luc. 15. Et quidni magnopere gauderet? Videri, gloriari coelestis Patris istâ peccatoris resipiscientiâ illustratam atque amplificatam; premium redemptiōnis à se solutum bene collocatum; salutem ovinulæ quæ aberrarat in tutto esse; tristitiam in gregè ob ejus aberrationem exortam, ex reductione depulsam atque finitam, & offendiculum, per lapsum atque errorem objectum, remotum.

Uſus ad traſlatas.

Lætitiam & nos summam capere oportet ex inventu & reductione ovis amissæ. Elaias Deum exaltari afferit, quum miseretur electorum suorum, atque eos à peccatis ipsorum conversos, & à poena peccatis debitâ levatos, beneficiis ornat & cumulat. cap. 30. 18. Contrà peccatis hominum Deus quasi humiliatur & contemnitur. Ex Pauli verbis hoc manifestè liquet: *Qui de Legē gloriariſ, per Legē transgressionē Deum afficiſ contumaciā. Nam Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes.* Rom. 2. 23. 24. *Dei benignitatis & tolerantie ac ira cohībit & divitias contumaces peccatores contemnunt; ignorantes benignitatem Dei ad resipiscētiā ipsorū deducere:* verba sunt ejusdem Apostoli: Ibid. vers. 4. *Dei gratiam ad lasciviam transferunt, quasi illa peccatorum effet;*

IN M A T T H. XVIII. v. 13.

157

effet pulvinar: Iudæ Epist. vers. 4. Christum Filium Dei sibi rursum crucifigunt, & ignorantia exponunt: Hebr. 6. 6. eumdemque conculcant, & sanguinem federis, per quem fuerant sanctificati, profanum ducunt. Ibid. cap. 10. v. 29. Spiritum gracie contumeliam afficiunt, & tristant. Ibid. & Eph. 4. vers. 30. Ubi vero ex divite suâ misericordia peccatores Deus convertit, & ex aviis atque erroribus in viam veritatis & salutis, atque ad electum gregem reducit, valde exaltatur. Atque hinc gaudium illud nascitur, quo ob ovem inventam compleri & exultare hic dicitur. Et sane tota sacra sancta Trinitas de resipiscētiā & redditu eorum, qui aberrarant gaudet. Gaudet, inquam, Pater coelestis: *Quod si pater prodigi exhilaratus est & gaudet, quod inventus effet filius, qui perierat.* Luc. 15. 32. quanto maiorem Patri coelesti lætitiam afferre puratis resipiscētiā lapsorum & errantium filiorum? Et hoc congruit cum pronunciato ejus: *An illo pāto delector morte improbi? dictum Domini Iehovī: annon quā revertitur à viis suis, ut vivat?* Ezech. 18. 23. Gaudet Deus Filius; Agricola lætatur, laborem rationis non esse inaneum: & non lætaretur Christus, videns scopum redēptionis se aſſequitum esse? Gaudet Spiritus sanctus: Quemadmodum enim homilium contumaciā & obstinatione ille perturbatur atque tristatur: Eph. 4. v. 30. Ita resipiscētiā electorum exhilaratur: quum sic domicilium & templum suum repeatat. Utī princeps terrenus, de arce sua, hostibus bellicâ manu & virtute erepta, gloriatur: Ita sanctus Spiritus gaudet, quod per ostium conversionis hominis resipiscētiis revertatur in templū suum, ex quo per peccata expulsi videbatur. Porro gaudium est in confecta Angelorum Dei super uno peccatorē resipiscēti; ipso Christo teste. Luc. 15. v. 10. tum propter gloriam Dei, cui gratulantur Angeli sanctum semen esse relictum: tum propter conversionem & salutem ipsorum electorum, quos socios habitui sunt

ri sunt suæ beatitudinis. Hanc suam lætitiam sancti Angeli nato Christo Servatore & pastore nostro, abundè testati sunt. Tunc enim, præ magnitudine gaudii, cœlo se continere ne quiverunt, sed in terras tarmatim delapsi, nuncium pacis & lætitiae, per Christum acquirendæ nobisque conferendæ omnium primi attulerunt. Prodit concionator Angelus dicens pastoribus Bethleemiticis: *Ne timete: ecce enim euangelizō vobis gaudium magnum, quod erit toti populo: nempe natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus in urbe Davidis.* Adeo repente cum Angelo illo universa multitudine exercitum coelestium, concionem ejus hymno cantuque læto excipientium: *Gloria in eis altissimis Deo, & in terra pass, in homines benevolentia.* Luc. 2. 10. 11. 13. 12. Quemadmodum Diabolus, hostis capitalis animarum nostrorum, cum angelis suis, effuse lætatur atque fideliter, cum videt numerum resipiscere nesciorum & improborum augeri, eo quod multos in gehenna habiturus sit socios: Ita è contrario sanctis & electis Angelis major non potest orihi lætitia, quam cum multis se in vita æterna socios habituros cernunt. Nec mirum. Quidni ingens ex hominum conversione & salute gaudium caperent illi, qui omnes sunt ministerij munere fungentes spiritus, qui ministerij causâ emittuntur propter bæredes salutis futuros. Hebr. 1. 14. Optimè non - nemo: Gaudent, inquit, *Angeli in peccatorum conversione, salutem hominis sientes.* Lacrymæ enim penitentium, sunt vina Angelorum. Denique pii omnes ex reductione & conversione errantium lætitia complentur. Hi enim amici illi sunt & vicini, quibus convocatis dominus ovis perdite & inventæ dicit: *Gratulamini mihi: nam inveni ovem meam que perierat.* Luc. 15. 6. Hæc itidem amicæ illæ & vicinæ, quibus mulier, recuperata drachmam suam amissæ, dicit: *Gratulamini mihi: nam inveni drachmam quam perdidera*m. Ibid. vers. 9. Atque hæc natura est sinceræ charitatis, ut non gaudeat in iustitia, sed gratuletur

lesur voritati. 1. Cor. 13. 6. Omnes sumus unius corporis mystici membra, quæ Capiti Christo, quæ sibi, quæ membro male affectio & sanato gratulari debent. Significanter & signatè Gentium Doctor: *Ne sit dissidium in corpore, sed membra itidem sollicita sint alia pro aliis.* Itaque sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, congratulantur omnia membra. *Vos autem estis corpus Christi, & membra particulatim.* 1. Cor. 12. 25. 26. 27. Oves Christi sumus: lætari ergo debemus de ove perdita ad caulam reductâ. Fratres sumus; quorum aures circumsonare debent monito pathetico Patris prodigi ad filium suum natu majorem: *Exhibilari & gaudere oportebat, quod frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perieratque, & inventus est.* Luc. 15. 32.

III. Restat gaudij magnitudo; quam sic explicat Christus: *Magis gaudet super eâ, quam super illis nonaginta novem, quae non erraverunt.* Gaudet etiam pastor super ovibus nonaginta novem, quæ non erraverunt: imò magis gaudet super ove, quæ nunquam à grege aberravit, quam super ea, quæ reducta est ex errore. Nam per se melius est, non errare & peccare, quam ab errore in viam reduci, & à peccato converti. Verum comparatè Christus loquitur: *quum major hic sit gaudii causa, major etiam misericordia, quia oviculam errantem & indignam prævenit, & à longiori aberratione, gravioribusque malis pastor liberat.* In tuto enim collocata est salus nonaginta novem ovium, quæ non erraverunt. Ex contrario id liquet, nimis ex dolore, quem ex re amissa, quæ charissima nobis est, concipimus atque percipimus. Dolor ille excedere solet gaudium ex rebus non perditis acceptum. In exemplum subjicio Iacobum Patriacham, quantum illi quamque acerbum dolorem movit jactura filii Iosephi? Mosem audiamus: *Agnoscens Jacobus tunicam versicolorem dixit: Tunica filii mei est, bestia mala devoravit eum: omnino discreptus est Ioseph.* Laceransque Jacobus vesti-

vestimenta sua, imposuit cilicium lumbis suis; luxitque propter p. lium suum diebus multis. Et quamvis surrexisserent omnes filii ejus, omnesque filiae ejus ad consolandum eum, renuit consolationem admittere: dicens, non faciam, nam descendurus sum ad filium meum lugens in sepulcrum: flevit etiam illum pater ejus. Gen. 37. 33. 34. 35. Evidem vehementius doluit de uno Ioseph amissio, quam de undecim reliquis filiis retentis. Ideoque gaudium, ex nuncio de filio Iosepho superstite conceptum, longissime supererabat laetitiam, quam ex praesentia, conspectu & incolumente reliquorum undecim perfruebatur. Quum enim hi ei renunciarent dicendo, abhuc Ioseph vivit, & ipsum praesesse universae terrae Aegypti: defecit animus ejus, quia non credebat eis. Sed quum eloqui essent apud eum omnia verba Iosephi quibus erat alloquatus ipsos, vidissetque plaustra que miserat Ioseph ad deportandum ipsum, revixit spiritus Iacobi patris eorum, & dixit Israel, sufficit, abhuc Ioseph filius meus vivit; ibo & videbo eum, antequam moriar. Ibid. cap. 45. 26. 27. 28. Et Davidem regem numeroa proles ita non potuit exhilarare, quam eum obitus infelicissimus & tristissimus unius Abrahomi, filii degeneris, perturbavit & contristavit. Nam commotus rex, ascendens in caenaculum illius portae flevit; & ita dicebat eundo, fili mi Absalom, fili mi, fili mi Absalom, utinam mortuus essem ego, utinam essem loco tuo, Absalom fili mi. file mi, 2. Sam. 18. 35. Quid si hodieq; unus ex deceim liberis, quibus beati sunt parentes, ægrotaret, vel in summū discrimen incidisset, majori solicitudine urgerentur districtiq; torquerentur parentes, quam laetitiam ex reliquorum novē integrā valetudine ac prosperitate afficerentur: & uno illo convalefcente & perculis erepto, magis gauderent, quam super cæterorum omnium incolumente & integrā conservatione. Et sane sæpe accidit, ut illi qui ab atrocissimis peccatis resipuerunt, & à gravissimis erroribus liberati sunt, ferventiores sint in dilectione Dei ac proximi, & sollicitius sibi à peccatis caveant, quam

quam alii qui nunquam exorbitarunt, & in enormia sceleris prolapsi fuerunt. Dux plus eum militem in prælio diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam euna qui nunquam terga fugæ vertit, & nunquam strenuum se & fortem militem præsttit. Agricolæ plus placent agri, qui spinis multis eradatis jam faciunt fructum centuplum, quam qui spinarum exortes minus fructificant. Ferrum ignitum calidius est ligno accenso: quo enim materia & substantia igni accensa frigidior est, & igni magis contraria, eo ferventior efficitur, caloremque diutius servat. Ita sæpe fit de filio Dei, qui à veritate & pietate aberravit, ut conversus, & ab errore viæ suæ aversus, majori & ferventiori zelo Dei gloriam, suamque & proximi salutem promotam cupiat. Pij in peccata prolapsi, seipso agnoscere discunt, quam sint infirmi, ne plus sibi tribuant quam par est: condolent aliis, nec temere de peccatoribus judicant: cauriis imposterum ambulant, majorique studio ac fervore ad officium redeunt: singularem Dei misericordiam experiuntur & prædicant, Deoqua ardenter supplicant, ut à malo ipso abstrahat ac custodiat, Evidem multum Davidi commodi ex eo accessit, quod jugiter ipsi peccatum admissum obversatum fuit. Psl. 51. v. 5. Hinc etiam serium illud pliisque propositum illius natum: Docebo transgressores vias tuas: & peccatores ad te convertentur. Ibid. vers. 15. Abnegatio in Petro animi demissionem peperit, summanque solicitudinem eum timore versandi reliquo conversationis sue tempore. 1. Petr. 1. verl. 17. Præcipue vero ex lapsu suo & gratiosâ sui erectione didicit, quid sibi voluerit Christus, dicens: Tu aliquando quum te converteris, stabili fratres tuos. Luc. 22. 32. Graviter lapsi erant Corinthij, gravi etiam moerore Apostolus eos acerbis suis objurgationibus affecerat, & ad poenitentiam non poenitendam adduxerat: ut lapsus recordatio, & dolor ex eo conceptus salutaris illis & utilissimus fuerit.

C O N C I O Q U E I N T A

Apostolum ipsum audiamus: *Etiamsi, inquit, vos contristare per epistolam, non me paenitet, etiamsi paenituerit (video enim epistolam illam, tametsi ad tempus, vos contristasse.)* Nunc gaudeo, non quod contristati fueritis, sed quod contristati fueritis ad resipiscientiam. nam contristati fuistis secundum Deum, ut nulla in re damno affecti fueritis ex nobis. Namque secundum Deum est tristitia, ea resipiscientiam efficit ad salutem, cuius nunquam peneiteat: at mundi tristitia mortem efficit. Ecce enim istud ipsum, quid secundum Deum contristati fuistis, quantum in vobis efficit studium? imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò vehemens desiderium, imò zelum, imò vindicationem? 2. Cor. 7. vers. 8. — 11. Paulus ipse, quanto atrociter nomen Dei blasphemaverat, pios persecutus fuerat & contumeliis vexarat: 1. Tim. 1. 13. tanto ardenter, ad Deum iam conversus, nomen ejus glorificavit, pios dilexit, & fidem in Christum prædicavit & propagavit. Ad Corinthios scribit: *Affecto vos Dei emulazione. Aptavi enim vos, quos uni viro, ut virginem puram sicutam, nempe Christo.* 2. Cor. 11. v. 2. Consimiliter ad Galatas: *Eram ignotus facie Ecclesii Iudeorum que erant in Christo. Sed solum audierant qui dicerent, Qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam olim ostabat: & glorificabant Deum de me.* Gal. 1. 22. 23. 24.

Usus I. ad ~~re~~adieas duplarem.

I. Ne aversemur neu contemnamus eos, qui ab errore in viam redeunt, & lapsi in peccata ad vitam novam resurgunt. Gaudemus potius, gloriam Dei amplificari, quem novi ad Christum discipuli accedunt: & qui aberrant, ad eum revertuntur. Vir fugiens rursum pugnabit. Piè Siracides: *Ne, inquit, ignoramini afficias hominem revertentem à peccato, memento nos omnes esse infestos increpationibus.* cap. 8. v. 6. Quum olim Corinthii duriores se præberent in-

centuq.

IN MATTH. XVIII. v. 13.

161

cestuoso resipiscenti, Paulus serio eos ad sympathiam horretatur, & veniam ei dari oblectat. Sufficit, ait, *istiusmodi homini ista increpatio à pluribus illis profecta, ut è contrario potius vos ei condonetis, eumque consolemini, ne quo modo redundantem tristitiam absorbeatur vir huiusmodi.* Quapropter precor vos ut ratam faciatis in illum charitatem. 2. Cor. 2. 6. 7. 8. Nimis ulla imitari nos decet exemplum Patris coelestis, qui apud Prophetam ait: *Quum improbus conversus ab omnibus peccatis suis quæ fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus & justitiam; omnino vivet, non morietur: omnes defctiones ejus quas commisit non commemorabuntur ei: in sua justitia quam exercet vivet.* Ezech. 18. 21. 22.

II. Quicumque à viis mandatorum Dei aberrarunt, gravibusque se peccatis obstrinxerunt, ad Christum Pastorem redeant, ut suā resipiscientiā coeleste illud gaudium excitant. Prodigus ad patrem suum reversus, magno eum gaudio afficit, ut præsentes omnes secum exhilarari voluerit atque gaudere: *Adductum, inquit, vitulum illum saginatum mortali, & edentes oblectemur.* Quia filius ille meus mortuus erat, & revixit: perieratque, & inventus est. Caperunt igitur sese oblectare. Luc. 15. 23. 24. Nec nos majori Servatorem nostrum lætitiam afficere possumus, quam si erroris nos poenitent, & ad frugem bonam nos recipiamus. Et hinc cor nostrum verā lætitiam completerit. Nam *justificati ex fide, pacem habent erga Deum apud Dominum nostrum Iesum Christum.* Rom. 5. 1. Hic solidi gaudii fons perennis est: hæc coeli suburbia. Non enim est regnum Dei esca & potus, sed *justitia, & pax, & gaudium per Spiritum sanctum.* Ibid. cap. 14. 17. Atque hic obtinet illud Salomonis: *Lati animo sunt convivium iuge.* Prov. 15. v. 15. David in erroribus & luto peccatorum hærens, distortusquebatur, incurvabatur per valde, toto die atratus & tristis incedebat. Psal. 38. 7. offa ejus inveterascebant, convertebatur præstantissimus humor ejus in fuscitates astivas. Psal.

X

C O N C I O Q U I N T A

Psal. 32. 3. 4. Ut primum verd ad Deum reversus, & à peccatis ablutus esset; præ nive aluit, fecitque Deus ut audiret gaudium & latitiam: exultarunt ossa quæ Deus contriverat. Psal. 51. 9. 10.

Ufus II. ad Epist. 2.

CRavissimum & dirissimum errorem, Novatiani errant, qui asseruerunt, eis qui post Baptismum accepti vel in fide, vel in vita errarunt & lapsi sunt; non amplius fortes misericordiae apud Deum, nec aditum ad Ecclesiam patere. Crebrò enim eveniebat grassantibus perlectionibus, ut vi cruciatuim aut mortis terrore quidam Christum negarent. Hos, si postea poenitentiâ ducti, in Ecclesiam recipi peterent, recipiendos negabant Novatiani. Nam immissicordes hi fuerant haeretici, interfectoresque resipiscientiae, & proditores charitatis. Christus ipse, pastorum principes, ovem amissam quæsivit, invepit, reduxit, & super eam gavisus est. Hac stante & obtinente doctrina, nemo nostrum servaretur. Nam in multis impingimus omnes. Iacob. 3. 2. Ut merito Constantinus Magnus Imperator, Acesio Novatianorum Episcopo & promacho, in Concilio Niceno, dixerit: *Erigito tibi scalam, Acesi, & solus in cælum ascendito. S*o-
zomen. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 2. Evertunt mandatum illud Apostolicum: *Fratres, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quispiam; sciat eum qui averterit peccatum ab errore via sue, servaturum animam à morte, & opertum multitudinem peccatorum. Iac. 5. 19. 20.* Manifestè perniciosus iste error repugnat sacris Literis & promissionibus divinis de gratia Dei omnibus resipiscientibus peccatoribus propria. *An ullo pacto delectar morte improbi? dictum Domini Iehovæ: annon quum revertitur à visis suis, ut vivat?* Ezech. 18. 23. Hujus generis sexcenta alia afferri possent. Exempla etiam sanctorum:

IN M A T T H. XVIII. v. 13.

163

Etorum passim in Scripturis obvia sunt, qui ex lapsibus resipuerant, & gratiam consecuti sunt. Davidi adultero & homicidæ resipiscienti Nathan Propheta, Dei nomine, dicit: *Iehova translulit peccatum tuum.* 2. Sam. 12. v. 13. Dominus Iesus intuitus est oculis gratiæ & misericordiæ Petrum, qui ter ipsum abnegaverat. Luc. 22. 6. Corinthiis præcipit Paulus, ut incestuofo resipiscienti condonent, eamque consolentur. 2. Cor. 2. 7. Repugnat etiam dogma hoc Symbolo Apostolico, in quo credere nos profitemur remissionem peccatorum: & Precationi Dominicæ, quâ remitti nobis peccata nostra quotidie oramus. Denique meritum & intercessionem Christi pro nobis elidit, & mileros peccatores in barathrum desperationis præcipitat. Præclare Ioannes: *Quod si quis peccavit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum, justum.* Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Epist. 2. verl. 1. 2.

Impietati suæ & teterimo errori Novatiani prætexebant verba Pauli: *Fieri non potest ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum illud cælestis, & participes fædli fuerint Spiritus sancti, gustaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi: si prolabantur, denudrenoventur ad resipiscientiam, ut qui rursum crucifigant sibi Filium Dei, & ignominia exponant.* Hebr. 6. 4. 5. 6. Sed turpissime detorserunt & adulterarunt sensum verborum Apostoli Novatiani. De ea enim defectione loquitur, quæ consulto & malitiose, non metu aut infirmitate aliquâ, sed deliberato confilio, & odio veritatis, animoque adversus eam hostili suscipitur. Hoc est, quod dicit Apostolus, tales rursum sibi crucifigere Filium Dei, & ignominia exponere. Notatur immane odium, quo in Christum feruntur tales apostatae. Detinbarent de cœlo Filium Dei, ac denud crucifixum omnium ludibrio exponerent, si possent. Et hoc demum est peccatum illud in Spiritum sanctum. Hic inexpiabilis ille lapsus, de quo Apostolus: *Fieri non*

non posse, ut qui ita prolapsi sunt, denuorenoventur ad resipiscen-
tiā. Neque hoc novum. Christus enim ipse à spe veniae-
tales excludit: Quisquis loquutus fuerit adversus Spiritum san-
dum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neque in futuro. Matth.
 12. 32. Causa tām severi in apostatas judicii, uno verbo, est
 justitia Dei, qui non patitur se irrideri. Hanc allegoricè Apostolus effert, sub metaphora terrae bonæ & reprobæ: *Nam*
terra, inquit, que imbre sapientia in se venientem combiberit, &
progenuerit herbam accommodatam iis per quos excollitur, parti-
cops fit benedictionis à Deo: At quis profert spinas & tribulos,
rejectanea est, & maledictioni proxima: cuius exitus tendit ad exu-
stionem. Hebr. 6. v. 7. 8. *Quemadmodum divinæ bonitati*
conveniens est eos, qui instar terræ bonæ, post culturam &
humectationem coelitus factam per verbum & spiritum
sanctum, gratiam Deo colono segetem proferunt fidei, obe-
dientiæ, pietatis, constantiæ, ampliorem subinde benedi-
ctionem consequi, ad quotidiana incrementa, & salutem de-
nique æternam. Ita ex adverso non potest Deus, per justi-
tiam suam, quin anathemate percutiat & exustioni æternæ
devoveat perfidos illos apostatas, qui reprobæ terræ instar
meras vitiorum spinas fundunt, & semen verbi divini, fidei q;
primordia malitiose excutiunt. Et aperte ex ipso textu li-
quet, Paulo sermonem esse de peccato in Spiritum sanctum.

1. Ex scopo hoc patet. Est enim argumentum sumptum à comminatione; cur Hebraei legnitrem excutere, & à relap-
 si sibi cavere debeant: quia nisi sedulè & sollicitè caveant,
 fieri non possit ut prolapsi denuorenoventur ad resipiscen-
 tiā: sitque de eorum salute actum & conclamatum. Præter-
 gressi jam fuerant infantiam Hebraei: quippe jam pridem ele-
 mentis Christianismi imbuti & fideliter instituti, adeò ut pro-
 temporis ratione doctores eos eße sportuerit. Hebr. 5. 12. Segni-
 tie tamen & socordia multi ex iis ad infantiam redierant,
 quasi regressi & relapsi, ut in propinquuo defectionis pericu-
 lo. ver.

lo versarentur: maximè propter afflictiones quibus à Gentili-
 bus premebantur. Opportunè ergo eos de præsenti peri-
 culo monet. 2. Ait Apostolus, fieri non posse, ut prolapsi re-
 noventur denuo ad resipiscētiā. Atqui nullum peccatum est,
 quod resipiscētibus non remittatur, excepto solo peccato in
 Spiritum sanctum: de quo etiam Ioannes: *Siquis viderit fra-*
trem suum peccare peccato quod non est ad mortem, petet & dabit
ei vitam: peccantibus dico non ad mortem. Est peccatum ad mor-
tem: non pro illo dito ut roget. 1. Epist. cap. 5. 16. De hoc igit-
 tur peccato Apostolus loquitur. 3. Denique Paulus testa-
 tur, se persuasum esse de Hebræorum salute, quod non es-
 sent ita prolapsuri, & miserè perituri: quantumvis ita eos
 terreat. *Persuasimus nobis, ait, de vobis, dilecti, que meliora sunt*
& saluti adhaerentia, etiam si ita loquamur. verl. 9. De hujus-
 modi ergo lapsus genere loquitur, qui in Hebræos cadere
 non poterat. At omnis generis lapsus cadere in ipsos pote-
 rant, & possunt in quosvis sanctos & electos, præterquam
 peccatum in Spiritum sanctum. Ergo de hoc solo Apostoli
 verba intelligenda sunt. Atque adeò illi qui tempore Nova-
 gianorum ex infirmitate peccabant, eo ipso quod reverteban-
 tur, satis ostendebant, se illud non perpetrasse peccatum,
 quod resipiscētiā non admissit. Quod superest, in tuto
 est res & salus eorum, qui firmi stant per fidem, & quos Deus
 ab errore & lapsu immunes custodit. Iudæ Epist. verl. 24. Post
 eos certi de Dei gratia saluteque suâ sunt, quicumque erro-
 ribus implicati, & in offensa aliqua præoccupati, mox ab er-
 rore & peccatis ad Deum convertuntur. Omnia enim
 potest Deus, peccatorem resipiscētem abjicere & à se re-
 pellere non potest. Testis David: *Sacrificia Dei sunt spiritus*
fractus, animum fractum & contritum, & Deus, non spemis, Pl. 5. 1.
 verl. 19. Non mutat decretum & sententiam suam Servator
 qui dixit: *Eum qui venit ad me, nequam ejecerim foras.* Ioan-
 nes. 6. 37. *Quisque nostrum Sponsum cœlestem oret cum fide-*

Si Spousa: Trahe me, post te curremus. Cantic. i. vers. 4. Et votum suum voto Ieremiae Prophetae jungat: Converte nos & convertar, quia tu es Iehova Deus meus. Jerem. 31. 18. Tu nos audi & exaudi, Deus Trin. Vne. AMEN.

CONCIO SEXTA

IN

MATTH. XVIII. vers. 14.

Ita non est voluntas Patris vestri qui est in caelis, ut pereat unius ex parvis istis.

 Obus, magnus ille & generosus Veritatis Pugil, actions & turris immota patientiae, de variis suis hostibus & multiplicibus copiis afflictionum, Deo contra se ministrantium, differens, inquit: *Simul advenientes turma ejus, aggerarunt contra me viam suam, & castra fecerunt circa tentorium meum.* cap. 19. v. 12. In summo atque aperto periculo est civitas & propugnaculum, quod foris a saevis, potentibus atque astutis hostibus obsecsum est, ac intus foveat infidos cives & milites, qui proditores induerunt. In maximo extremoque discrimine versatur cor piorum, quod extra a Satana, valido illo armato, & vafermo insidiatore, mundoque impio, & crudelissimi tyrannis oppugnatur, intus vero a carne corrupta veteri, Adamo, hoste ut domestico, ita importunitissimo, infestatur & inquietatur. Ac Satan quidem tentator est callidissi-

mus

IN MATTH. XVIII. v. 14.

167

mus & indefessus, i. Thess. 3. 5. qui ignitis suis temptationibus Dei filios adoritur, eosque appetit quos ventilet sicut triticum, Lyc. 22. 31. nullam eis quietem permittens, quod fidem eis excutiat, ac salute eos privet. Mundus pios pravis exemplis & fallacibus promissionibus ad peccata suique imitationem allектat: & si blanditiis nihil proficiat, odio insatiabili & implacabili eos perseguitur. Nec meliorem ipsis in mundo sortem Christus promisit: *Quia, ait, ex mundo non es sis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15. 19. *In mundo afflictionem habebitis.* Ibid. cap. 16. 33. Caro corrupta, quam in sinu tenemus, in spiritum insurgit, cum Diabolico & mundo in pernicie nostram conspirat, ac offendicula nobis in fidei stadio ac pietatis progressu objicit. Molestus adeo & infestus hic hostis Paulo fuit, ut suspiria haec ab imo pectore duxerit: *Non facio bonum quod volo: sed malum quod nolo, hoc ego.* Quid si id facio ego quod ego nolo, non amplius ego id perpetuo, sed peccatum quod in me habitat, id perpetrat. Invenerio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impositam esse, quod mihi malum adjaceat. Delector enim Lege Domini quod ad interiorum hominem: sed serno alieno legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis meae, & captivum reddentem me legi peccati, quae est in membris meis. *Ærumnosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Rom. 7. 19—24. Istorum hostium insidiis, persecutionibus, & violentiae expositi pii, suæ sibi infirmitatis concii, triste illud Iosaphati regis lehudæ ingeminant: *Non est in nobis vis obsistendi multitudini magna ista invadenti nos: & nos nescimus quid facturi simus, sed in te defixi sunt oculi nostri.* 2. Chron. 20. vers. 12. Et sane in lubrico salus piorum posita esset, nisi Pater noster celestis, Servatorque ac Pastor Iesus Christus, hostes istos compelceret & repellere, curamque ipse & defensionem salutis suorum susciperet. Ille magnus est consilium & amplus actione. Ierem. 32. v. 19. Ille pericitantibus supprias venit,

pro-

prostratos erigit, vulneratos obligat, vacillantes sustentat, infirmos corroborat, ac meticuloſos inclamat: *Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem consummatur.* 2. Cor. 12. 9. Hoc paraſtate fretus Paulus, in ſuā infirmitate, de omnibus hoſtibus & afflictionibus triuiphat: *Deo habetor gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* 1. Cor. 15. 57. Rurſus: *Omnia valeo per eum qui me corroborat, nempe Christum.* Philip. 4. 13. Perluſtremus animo textum praelectum, & omnem nobis ſcrupulum eximet ſollicita illa & affidua Dei Patris cura, quā parvos, in ſide vel vitā errantes, in regiam ſalutis viam reducit, maximumque gaudium ex eorum conversione capit: haud aliter atque paſtor bonus oīculam palantem & perditam requirit, atque ob eam inventam ex animo lætatur. Verē ut dicat Christus, ſummus & fideliffimus, ac potentiffimus ovium ſuarum Paſtor: *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam ē manu mea. Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus eſt: neque quisquam potest eas eripere ē manus Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.* Ioan. 10. v. 28. 29. 30. Iſtanc ſimilitudinem, quam fuſius & pleniū ſuprā interpretatione noſtrā illuſtravimus, jam ad curam Dei Paſtri pro puſillis, quoſ mundus fastidit & deſpicat ui ducit, applicabimus, occaſionem nobis Christo ipſo in verbiſ hiſce præbente, quæ in quinque diſpertimus membra:

I. Q U A M C E R T O.

II. Q U I S.

III. Q U A R E.

IV. Q U O S.

V. A Q U O ſervare velit.

Pater coeleſtis, qui ſuos ſervatos vult voluntate ſui beneplaciti, efficiat in nobis virtute ſancti ſui Spiritus, ut voluntati ſuæ ſancte, in verbo ſuo revelatae, prompte & alacriter pareamus. *A M E N.*

I. Q U A M

I. Q U A M C E R T O.

ID Christus ſubindicat voculā *στρες*, *Ita*, quā ſimilitudinem allatam ad curam Patris coeleſtis pro parvis accommodat, ac tantundem dicit: Certum eſt, quippe ex luce na- turæ notum, affectu humano teſtatum, & experientiā com- probatum, fidum paſtorem qui centum habet oves, ſi una duntaxat ex eis aberrauerit, non finere eam eſſe perditam: quin potiū, quāvis non magni pretii una ovis ſit ad reliquas collata, tamē majori ſolicitudine amissā hanc querere, quām reliquias ſervat, rurſumque de eā inventā majori gaudio compleri, quām de reliquis ſalvis. Nec minus certum, & u- naniimi ſacrorum Scriptorum conſenſu firmatum, Patrem meum coeleſtem non velle vel unam de ſuis oviſbus, h. e. unum ex electis ſuis (quos certo numero elegit) quantum- viſi puiſillus & abjectus videatur, perire: quinimo singulari curā unumquemlibet talium querit, & reliquis electis rurſus adjungere repertum ſatagit, quumque inventus & ab interitu revocatus fuerit, tūm ingenti gaudio af- ſicitur. Nemo, mentis bene ſancte compos, accubitare de eo potest, nedum illud negare. *Eſt enim Deus ipsa charitas,* teſte Joanne 1. Epift. 4. v. 8. Omnis charitas & cura, quam homines de rebus ſibi charis habent, tantū gutta eſt ex fonte inexhausto diuinæ charitatis: ſcintillula eſt ex maxi- mo & ardentiffimo diuino charitatis igne.

Uſus ad didaſcuſiā.

QUOTIENS umbram aliquam vel flammulam amoris in nobis vel aliis conſpicimus erga personas vel res nobis charas & gratas, toties de immenso & immutabili Dei erga electos ſuos amore certiores reddamur. Eapropter Christus toties

tories similitudinibus ab hominibus humanisque rebus, affectu & effectibus sumptis, usus est, ut ex nobis ipsis ad considerationem & certitudinem divini affectus & benevolæ voluntatis nos duceret. Matthæum teste cito: *Hec omnia loquuntur est Iesus per parabolas ad turbā: & absq; parabolā nihil loquuntur est eis.* Mat. 13. 34 Qui pastorem ovium agit, & cui illæ curæ sunt; ne ambigat de veritate pronunciati Pastoris coelestis: *Ego sum pastor ille bonus, & agnoscō meos, & agnoscō cor à meis.* Prout novit me Pater, ita & ego nōpi Patrem, & animam meam depone pro ovibus. Joan. 10. 14. 15. Vides pastorem ovem perditam perlequentem, amissamq; vel infirmam humeris impositam ad gregem reportantem, mox succurrat vaticinium Elaiæ de nostro Pastore: *Velut pastor gregem suum pascet, in brachium suū congregabit agnellos, & in sinu suo portabit, fatus ducet commoda.* cap. 40. 11. Patres, qui bene liberis suis cupiunt, eorumque commodis & saluti invigilant & consulunt: ne dubitent de promissis & affectu Patris sui coelestis. Suavissime David: *Et miseretur pater filiorum, sic miseretur Iehova timentium ipsum.* Nam ipse novit figuratum nostrum; memor, pulverem nos esse. Psal. 102. 13. 14. Huc & illud Christi tendit: *Ecquis ex vobis pater, si filius ab eo petierit panem, lapidem ei dabit? qui si pīsem, cum propīce dabit ei serpentem?* Aut si petierit oīum, num dabit ei scorpionem? Si vos igitur qui mali estis, nostis bona dona dare liberis vestris, quanto magis Pater vester caelestis dabit Spiritum sanctum peccatis ab ipso? Luc. 11. 11. 12. 13. Matres, quæ impensè suos filios diligunt, fiduciam suam in Deo collocent, qui plus quam materno amore filios suos complectitur. Audite quid afflictissimæ iuxæ Ecclesiae, de sui desertione conquerenti, Deus respondeat: *Quod si dicat Tzijon, dereliquit me Iehova, & Dominus oblitus est mei: An oblivisci potest mulier fætus sui, ut non misereatur filii uteri sui? etiam ha obli- visci possint; tamen ego non obliviscar tui.* Elai. 49. 14. 15. Item: *Et quisquam quam mater sua consolatur, si ego consolacurus sum vos;*

IN M A T T H E U S X V I I I . 14. 172

vol, & Ierusalaimis consolatione perfundemint. Ibid. cap. 65. 13. Cernis gallinam, pro suis pullis contra milvum veterem pugnantem, eosque ingruente tempestate sublas suas colligentem? cogita certitudinem effati Christi: Ierusalem, Ierusalem, trucidatrix Prophetarum, & Iupidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties volvi congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? Matth. 23. 37. Sed plurimi, proh dolor! oculos animosque ad divinæ charitatis pignora claudunt, sui plorū obliviscuntur, & eorum quæ in se sunt. Quid ergo mirum, si Dei erga se amorem in dubium vocent? Et quum Deus alium, quam reverā est, sibi imaginentur; hinc sit, ut & ipsi alio iesse erga eum, quam par erat, præstent. Non sociunt igitur amoris ejus in cordibus suis: ideoque in amore ejus vel tēpent, vel frigent. Apoc. 3. 15. 16.

II. Q U I S?

Illiud ex hisce Christi verbis liquet: *Qui est tu rex reges universi? Ceteri Pater vestri qui est in celis.* Quod verba, toti testimoniala de pignoris certitudinis salutis pulcherrimum. Dens est Pater noster, jure creationis: quo sensu Adamus appellatur Dei filius. Luc. 3. 38. Atque ita homines omnes, tam impii, quam pii, dicere possunt: Nonne Pater unus omnibus nobis est? nonne Deus fortis unicus creavit nos? Malach. 2. 10. Singulariter & in primis Deus Pater noster est jure redēptionis & adoptionis: quia nos gratis in Christo Iesu Filio suo unigenito & dilecto adoptavit. Beneficium hoc Apostoli predicatoris: Deus predestinavit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum in se; pro benevolo affectu voluntatis sua, ad hanc gloriosæ sue gratiæ, quæ nos gratos sibi acceptas effectis in illo dilecto. Eph. 1. 5. 6. Ipsum Christum, fratrem nostrum primogenitum, audiamus, dicentem Mariæ Magdalæ lenæ

Ilenæ à resurrectione suâ: Proficisci ad fratres meos, & dic eis;
Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Ioan. 20. 17. Uti enim Moses in arca scripea
 in aquis expositus, ex eis à filia Pharaonis extractus est, & in
 filium adoptatus, vocatusque est filius filia regis Pharaonis: Exod. 2. 10. Heb. 11. 24. Ita Deus suos ex fovea & cæno
 peccatorum ac perditionis eduxit: ab æterno electos, reapiens
 in tempore filios suos fecit: adeò ut hi qui non erant popu-
 lus ejus, filii Dei vivi vocentur. O incredibilem & immensem
 amorem! quem miratus Ioannes exclamat: *Videte qualis
 charitatem dedit nobis Pater, nempe ut filii Dei vocemur.* 1. Epist.
 3. v. 1. Quemadmodum ergo parentes terreni assiduam a-
 cremque curam suscipiunt & gerunt pro teueris, infirmis &
 ægrotis suis liberis: Ita nec imbecilles suos filios abiegit & curvus
 & neglecturus est cœlestis Pater. Ipse novit fragmentum nostrum,
 ac nostri, ut pater filiorum suorum, miseretur. Psal. 103. 13.
 14. Et hoc sibi vult promissum ejus: *Arundinem quassatam
 non franget, & ellychnium ipsum fumigans non extinguet.* Elai.
 42. 3. Significanter Christus addit: Patrem hunc nostrum
 esse in cœlis. Patres terreni saepe optant cupiuntque liberis suis
 pusillis atque infirmis opitulari, sed viribus defecti non pos-
 sunt. Vellit Hagara infantem Ismaëlem siti ferè enectum,
 in vita conservare: sed deficiente aqua est utrei, cum abicit,
 vitam ejus desperans. Gen. 21. v. 15. Pater noster in cœlis
 quum sit, omnipotens est. Id quod David sic exprimit: *Deus noster in cœlo est: quicquid placet, facit.* Psal. 115. v. 3.
 Huic fundamento idem Regius Propheta & Psalmes fiduci-
 am suam in summis periculis & calamitatibus superstruxit:
Ad te attollo oculos meos, & tu qui sedes in cœlis. Ecce ut oculi ser-
 vorum spectant ad manum dominorum suarum, ut oculi ancille
 spectant ad manum heræ sue: ita oculi nostri spectant ad Iehovam
 Deum nostrum, donec gratiam exhibuerit nobis. Psal. 123. 1. 2.
 Hunc unum cœlestem & omnipotentem Patrem David ex-

iam hostibus omnibus opponit: *Is, inquit, qui sedet in cœlo,*
ridet: Dominus subsannat eos. Psal. 2. 4.

Uſus I. ad πατέρικην Cir.

IN hoc cœlesti Patre confidamus. *Pater noster est;* ergo pa-
 ternalum suum erga nos affectum nunquam exuet. *In cœlis*
est; ergo tueri pusillos potest. *Quemadmodum cœlum sub-*
limius est omnibus rebus: Ita ille qui thronum suum in cœ-
 lo habet, omnia sibi habet subjecta. His duabus columnis
 fiducia nostra innixa, non vacillat. *Huic igitur certæ & fir-*
mæ anchoræ fluctuantem fidem nostrę naviculam affigamus.
Negare seipsum non potest benevolus & omnipotens Pater.
 2. Tim. 2. 13. Atque adeò nec filios suos pusillos deferere.
 Supra captum & spem humanam est illud Patrii nostri cœ-
 lestis promissum: *An filius charus mihi est Ephraim?* an na-
 turam summa oblationis? est. nam ex quo loquutus sum contra eum,
 omnino recordor ejus adhuc: idcirco per strepunt viscera mea propter
 eum, omnino miserebor ejus, dictum Iehovæ. Jerem. 31. 20. Sit
 ergo Davidis filialis fiducia, nostra quoque fiducia: *Quam-*
vis pater meus & mater mea derelinquerent me: tamen Iehova re-
cipiet me. Psal. 27. 10.

Uſus II. ad παιδίσκων Cir.

A Gite, reapse nos Dei Patriis germanos filios demonstre-
 mus. *Filius sapiens letitiā afficit patrem.* Prov. 10. v. 1.
 Nos cœlestem Patrem fiduciā, obedientiā, & tolerantia fi-
 liai exhilaremus. Sic experiemur veritatem paterni ipsius
 promissi: *Gaudabo de ipsis, benefaciendo ipsis.* Ierem. 32. 41.
 Implebitur in nobis illud: *Ut quum ducit juvenis virginem,*
quum uxores tibi discunt filij tui; gaudio, inquam, sponsi cum sponsa,
gaudebit tecum Deus tuus. Elai. 62. 7. Adhac probi libe-
 ri debitum patri deferre honorem tenentur. Lex clamat:
Honorā patrem tuum, & matrem tuam. Exod. 20. 12. Prophe-
 te. **L**

ta Legi congruenter: *Filius, inquit, honorat patrem.* Malachi 1. 6. Nos per animam caveamus, ne in nos quadret, quod Pater coelestis ibidem apud Prophetam subjicit: *Quid si Pater sum, ubi est honor meus?* Honoremus Patrem nostrum precibus, gratiarum actione, fide cordis, pietate vita. Parcamus hortationibus sanctorum Dei virorum; Ieremias: *Cedite Iehovae Deo vestro gloriam.* cap. 13. 16. Pauli: *Sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. 31. Certi promissi Dei Patris nostri: *Honorante me honorabo.* 1. Sam. 2. 30. Praeterea liberis divinitus praeceptum est: *Liberi, auscultate in Domino parentibus vestris.* id enim est justum. Eph. 6. 1. Praestemus & nos obedientiam paternis Dei mandatis. Petri est illud: *Estate filii obedientes.* 1. Epist. 1. 14. Certius & evidentius testimonium non est, quo probemus nos sinceros Dei Patris filios, & Christi, Dei Filii, fratres. Ex ipsis Christi ore id discamus: *Quis quis fecerit, quod vult Pater ille meus, qui est in celis, is est meus frater, & soror, & mater.* Matth. 12. 50. Porro liberi parentes suos ante omnes diligere, charosque habere debent. Nobis Dei filii dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.* Matth. 22. 37. Facem sinceræ dilectionis nobis præfert Propheta & Rex David: *Ex intimis visceribus diligam te, Iehova, firmitas mea.* Psal. 18. 2. A germanis etiam filii exiguntur, ut patrem suum reverentur. Sic nihil magis Dei filios exornat, quam timor Dei filialis. Unde tantâ sermonis evidentiâ, tantoque spiritus ardore David: *Colite Iehovam cum reverentia, & exultate eum tremore.* Psal. 2. 11. Evidenter nihil isto timore Deo Patri gratus, nihil Dei filii utilius atque salutarius, eodem Davide teste: *Vt miseretur Pater filiorum, miseretur Iehova timentium ipsum.* Psal. 103. 13. Item: *Quam multa est bonditudo, quam regunda reverentibus te!* Psal. 31. 20. Laudi quoque & honori est probis liberis, ut patrissent, & pia pii patri vestigia

vestigia premant. Decet & nos imitari exemplum cœlestis Patris. *Sanctus est Pater noster.* Ioan. 17. 11. Circumsonent aures nostra paterno ejus monito: *Sancti estote, quia sanctus sum, ego Iehova Deus vestor.* Levit. 19. 2. Plenæ sunt sacrae Literæ exhortationum ad imitationem Patris nostri cœlestis. Ioannes, ad fraternalm charitatem nos extimulaturus: *Dilecti, inquit, diligamus alii alios: nam caritas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: nam Deus est caritas.* Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere. 1. Epist. 4. 7. 8. 11. Christus ipse, misericordiam nobis erga miseros, affictos, & egenos commendaturus, Patris cœlestis exemplum imitandum proponit: *Estate misericordes, prout & Pater vester misericors est.* Luc. 6. v. 36. Et ad benefaciendum hostibus nos invitatus, ad idem exemplum nos remittit: *Diligite inimicos vestros, benedicite eis, qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis infestis sunt, & persequuntur vos.* Ut sitis filii Patris illius vestri, qui est in celis: faciat enim ut Sol suus emoriatur super malos & bonos, & pluit super justos & injustos. Matth. 5. 44. Denique uti filii frugi & equo animo castigationem paternam admittunt, neque patri suo obmurmurant, juxta illud Salomonicum: *Filius sapiens auscultat eruditio patris; et deriser ne ulli quidem auscultat increpatio.* Prov. 13. 1. Ita & nos crucem, quemodocunque eam Deus & Pater noster imponat, patienter feramus: *Ne abliviscamur,* Paulo monitore, *exhortationis quæ nobis tanquam filiis loquitur: Fili mi, ne parvi facito castigationem Domini, neque animo frangitor, quum ab eo argueris.* Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem quemcumque filium agnoscit. Si castigationem sustineris, Deus se se vobis exhibet ut filiis. quis enim est filius quem non castigat pater? Quid si estis absque castigatione, cuius participes sunt omnes, nempe suppositi tui estis, non filii. Deinde patres quidem carnis nostre casti-

castigatores habuimus, & reveriti sumus: annon multo magis sub-
jiciemur Patri spirituum, & vivemus? Nam illi ad paucos dies,
prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum no-
strum, ut participes simus sanctimonie ipsius. Omnis autem casti-
gatio in praesens quidem non videtur esse gaudi, sed tristitiae: at
postea fructum tranquillum justitiae reddit, iis qui per eam fuerint
exercitati. Hebr. 12. 5. — 11.

III. QUARE

Dilectè Servator: Non, inquit, est voluntas Patris vestri.
Respectu parvorum, de quibus hinc agitur, duplex est
Dei voluntas; una præcipiens, altera decernens & efficiens.
Præcipiens voluntas est quâ à nobis, ea quæ præcepit, exigit
& fieri vult. Hauc Christus intelligit, cum orare nos jubet
Patrem coelestem; *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita etiam in*
terra. Matth. 6. 10. Et de ea Paulus loquitur, dicens: *Ne*
vos configurate seculo isti; sed transformate vos per renovationem
mentis vestre, ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa,
placens, ac perfecta. Rom. 12. 2. Voluntas Dei decernens &
efficiens est, quâ salutem electis dare ab æterno decrevit, &
certò atq; efficaciter in tempore propter Christum confert.
De ea Christus, optimus paternæ voluntatis interpres, &
executor promptissimus & fortissimus: *Hæc est voluntas e-*
ius qui misit me, id est, Patris, ut quicquid mibi dederit, non per-
dam ex eo, sed fuscitem illud in ultimo illo die. *Hæc est autem vo-*
luntas ejus qui misit me, ut quisquis conficit filium, & credit in
eum, habeat vitam æternam: & fuscitem ipsum ego ultimo illo die.
Ioan. 6. 39. 40. De eadem Dei voluntate Paulus: *Prædesti-*
nati sumus secundum præstitutum ejus qui agit omnia ex consilio
voluntatis sue. Eph. 1. 11. De hac voluntate verba Christi
capienda sunt. Deus certò, immutabiliter & infallibiliter
paruos vult salvos fieri; non vult ullum ex iis perire. Ut jure hinc
excla-

exclamare possimus cum Esaiâ: *Iehova exercituum inivit con-*
silium, & quis irritum faciat? & manum ejus extentam, ecquis a-
wertat? cap. 14. 27. Et cum Paulo: *Ejus voluntati quis obsi-*
stir? Rom. 9. 19. A quo non separo illud ejusdem: *Dona illa*
& illa vocatio Dei ejusmodi sunt, ut sorum ipsum penitere non pos-
sit. Ibid. cap. 11. 29. Quemadmodum immutabilis est ef-
fentiâ Deus; quum nulla apud eum insit transmutatio, aut con-
versionis abumbratio: Iacob. 1. 17. Ita nec voluntas isthæc e-
jus ulli mutationi aut poenititudini est obnoxia. De quo neque
ambigat, Deum ipsum testem sisto dicentem: *Consilium meum*
stabit, & omnem delectationem meam facturus sum. Esai. 46. 10.
Item: *Quia ego Iehova non mutor: ideo vos filij Iacobi, non con-*
sumpti estis. Malach. 3. 6. De hac Dei voluntate decernente &
efficiente tria notanda sunt: *metopami.*

I. Parvorum salus non pendet ab eorum fide operibusque
bonis prævisis, sed à Dei voluntate, quæ prima ac suprema est
causa, neque ab ullo alio principio vel causâ priore ad vo-
lendum impellitur ac movetur. In hac supremâ salutis cau-
sâ Christus hinc acquiescit. Nec supra & ultra eam progre-
ditur Paulus, in descriptione causarum salutis. Supremus
apex, est consilium voluntatis Dei. Eph. 1. 11. Electio non est e-
jus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, nempe
Dei. Cujus vult, miseretur. Rom. 9. 16. 18. Et hac in parte
etiam valet illud Christi, quod prætermittendum haud est:
Gloriam tibi tribuo Pater Domine cœli & terra, quod hæc occulta-
veris à sapientibus & intelligentibus, & ea relexeris infantibus. Et-
jam Pater, quia ita placuit tibi. Omnia mihi tradita sunt à Pa-
tre meo: & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam
novit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere. Matth.
11. 25. 26. 27. Non quia nos priores voluimus, electi su-
mus, & servamus: sed quia prior Deus voluit, elegit & ser-
vat nos. Alioqui, non Deus nös, sed nos priores Deus ele-
gissemus. Longè fecus Christus: *Non vos me elegistis, sed*
Z ego

Ego elegi vos, & constitui vos ut abeuntes fructum feratis. Ioan. 15. 16. *Quod etiam illud Ioannis vergit: Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.* 1. Epist. 4. 19. Res ipsa clamat: *Quid velle potuimus; quum nondum essemus?* Et qui bonum velle potuimus jam existentes, quum naturâ propensi simus ad odium Dei & proximi? *Quoniam quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum.* Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem. Rom. 8. 7. *Quid? quod idonei non sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est.* 2. Cor. 3. 5.

II. Infallibiliter servantur, quotquot servatos vult cœlestis Pater. Ipse enim hostes omnes vincit, qui huic ipsius voluntati obsistunt, parvosque vel per vim vel per infidias salute private conantur. Neque enim fallit pronunciatum Ioannis: *Vos ex Deo estis, filioi, & vicii eos: quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo est.* 1. Ioan. 4. v. 4. Efficaciter quoque Christus: *Excitabuntur pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Matth. 24. 24. Ecce, salutis nostræ firmitas non in nobis, sed in arcana Dei electione locatur. Cui adjungi meretur illud ejusdem: *Ego vitam aeternam do ovibus meis, nec peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam e manu mea.* Pater ille meus, qui mihi dedit eas, maior omnibus est: neque quisquam poterit eas eripere e manu Patris mei. *Ego & Pater unus sumus.* Ioan. 10. 28. 29. 30. Idem sonat Petri hoc: *Virtus Dei præsidio custodimini per fidem ad salutem.* 1. Petr. 1. 5. Porro parvi ipsi, qui naturâ sunt filii iræ, & ad malum proni, isthuic efficaci Dei voluntati non obstant, imò ne obstatere quidem possunt. Quando enim Deus benevolum affectum hujus suæ voluntatis in electis exequitur, seu veram in iis conversionem operatur, Spiritus regenerantis efficaciam ad intima eorum penetrat, cor clavum aperit, durum emollit, preputiatum circumcidit, voluntati novas quali-

qualitates infundit, facitq; eā ex mortuâ vivā, ex malâ bona, ex nolente volentē, ex refractariâ morigeram, agitque & roborat eam, ut, ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit ac velit. Loquitur uberrimum Dei promissum: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in mediis vestri; & amovens cor lapideum è carne vestra, indam vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio vestri; quo faciam ut in statutis meis ambeletis, & jura mea observetis facientes ea.* Ezech. 36. 26. 27. Cui respondet effatum istud Paulinum: *Deus is est qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.* Phil. 2. 13. Non est actio Dei omnipotentis, humanæ subjicienda voluntati. Secus Spiritui sancto contradiceremus, qui ait per Apostolos; Petrum: *Divina vis ipsius omnia nobis donavit quæ ad vitam & pietatem pertinent.* 2. Epist. 1. 3. Itemque per Paulum: *Et supereminens illa magnitudo potentie ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate boris virium ipsius.* Eph. 1. 19. Et Deus noster complet omnem sue bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter. 2. Thess. 1. 11.

III. De hac Dei erga se voluntate certi sunt *parvi*, non ascendendo in cœlum, librumque voluntatis & electionis divinæ inspiciondo (id enim fieri non potest) sed voluntati ejus præcipienti & in Verbo revelata parendo. Quos enim Deus voluntate beneplaciti salvos esse voluit, salvosque facit; eosdem voluntati iuxæ præcipienti obedire vult, & morigeros eos reddit. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit;* adeoque sancti sui Spiritus virtute in eis efficit, ut vocationi pareant, Rom. 8. 30. Quare uti firmum fixumque est illud Christi: *Non est voluntas Patris vestri qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvis istis:* Ita immotum juxta stat istud ejusdem: *Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Matth. 7. 21. Cui congruerter Ioannes: *Mundus præterit, & cupi-*

cupiditas ipsius: qui verò præstat voluntatem Dei, manet in aeternum. 1. Epist. 2. 17. Et Petrus electos ac per Christum redemptos hortatur, *ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis vivant.* 1. Epist. 4. 2. *Vin' ergo certò persuasum habere, servatum te iri ex Dei voluntate?* subinde tecum illud Pauli recognita: *Deus elegit nos in Christo ante iustum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate.* Eph. 1. 4. Sanctitatis & charitatis studium certum est *griphorum electorum servandorum.* Hoc sibi volunt illa Pauli: *Hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestri, id est, ut abstineatis a fornicatione: ut sciat vestrum unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore.* 1. Thess. 4. 3. 4. Cui consonat illud Ioannis: *Dilecti si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere.* 1. Epist. 4. 11. *Prædestinavit nos Deus ad laudem gloriose suæ gratiæ.* Eph. 1. 6. Ergo in se ipsum singuli descendant, ac se se explorent, num laudem Deo pro acceptis beneficiis tribuant. Expressè Apostolus: *In omnibus gratias agite, hac enim est voluntas Dei per Christum Iesum erga vos.* 1. Thess. 5. 18. Vult Deus servatos electos; sed per fidem. Pauli illud est: *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam eternam.* Act. 13. 48. Unde fides, *electorum fides appellatur.* Tit. 1. 1. Ergo, ex monito Pauli, *vos ipsum tentate, an sitis in fide, vos ipsum explorare: annon agnositis vosmetipso, videlicet Iesum Christum in vobis esse?* 2. Cor. 13. 5. Credentes in Christum vita aeterna manet. *Hæc, inquit, Servator, est voluntas ejus qui misit me, ut quisquis conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.* Ioan. 6. 40. Quos servari Deus vult, eos etiam conformati prius vult *imagini Filii sui in perpetrationibus.* Rom. 8. 29. Probate igitur vosmetipso, an crucem divinitus immissam toleranter sustineatis. Sic enīm Petrus: *Qui, inquit, malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fidelis conditoris commendent animas suas bene agendo.* 1. Epist. 4. 19. Nec aliter Paulus:

Hæ-

Hæredes Dei sumus, cohæredes autem Christi; si modo cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur. Rom. 8. 17. Et, *Si substiterimus, etiam conregnabimus.* 2. Tim. 2. 12. Liber vitæ, in quo conscripta sunt nomina parvorum, quos aeternum Deus servabit, obsignatus est sigillo Dei. 2. Tim. 2. 19. Ejuslibri anteriori parti verba haec inscripta sunt: *Novit Dominus eos qui sunt sui.* Ne ergo haec arcana & occulta scrutemur. Sed attendamus ad patefactam Dei voluntatem, in primis ad verba posteriori libri vitæ parti inscripta: *Abscedat ab iniquitate quisquis non minat nomen Christi.* Ibid. Sic de nostri electione, & voluntate Dei circa salutem nostram, omnium optimè & certissime judicare poterimus. Exigit Apostolus ab omnibus & singulis Dei filiis, *ut nomen Christi invocent;* id quod sine fide fieri nequit. *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Rom. 10. 14. Postulat præterea ab iisdem, *ut ab iniquitate, adeoque omni iniquitate, abscedant.* Ex fidei igitur & studii pietatis sensu quemque nostrum de collatâ sibi quoque electionis gratiâ, & Dei voluntate circa salutem suam vult colligere. Itaque quot fidei, quot propositi Deo vivendi habes testimonia, tot electionis tui tempore habes.

IV. Q U O S?

I D arguunt verba haec: *Vinus ex parvis istis: Nomen parvorum & physicè & spiritualiter capi potest. Physicè pro pueris qui ab ipsâ infantia & pueritia à Deo in fedus gratiæ sunt aſciti, ex quibus ne unus quidem periturus est. In horum censu fuit Ieremias, quem Deus sanctificavit, quem nondum prodierat ex vulva.* Ierem. 1. 5. Et Joannes Baptista, qui *Spiritu sancto impletus fuit etiam à ventre matris sue.* Luc. 1. 15. Huc & illi parvi pertinent, de quibus Christus in Evangelica historia: *Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos.* talium enim

